AVGVSTINI NIPHI MEDICAE

PHILOSOPHI SVESSANI

DE REGNANDI PERITIA

AD CAROLVM. VI.

IMPER. CAESAREM

SEMPER

AVGVSTVM.

Hieronymi Borgii

Quid lætos faciat populos urbisq; beatas,
Quid regem similem reddat in orbe deo,
Ecce docet Niphus. tu sanctum perfice munus
Cęsar, habes campum, quo deus esse potes.

Eiusdem

Quam bene monstrat iter regnandi Niphus & artes,
Qua stent regna diu, qua ratione cadant.
Quidq; deo similem moderantem publica regem
Reddat, & efficiat regna beata simul.
Si bene tam reges tua tot præcepta sequentur
Niphe, diu optauit quod Plato cernet opus.
O tua mens utinam tam multis regibus esset,
Aut fortuna tibi regia sceptra daret.

I. L. VOPISCI IN LIBRVM NIPHI EVTYCHI EPIGRAMMA

Quærit Aristotelem dum ardentius: abdita regna:
Et penetrat campos Eutychus Elysios.
Extremis apud ille Iouem secesserat aruis.
Forte dabat regni Iuppiter arte modos.
Audit hians. superas hinc postq̃ emersit ad auras:
Contulit in librum hunc Eutychus orsa Iouis.

AVGVSTINI NIPHI MEDICAE PHILOSOPHI SVESSANI DE REGNANDI PERITIA, AD CAROLVM .VI. IMPER. CAESAREM SEMPER AVGVSTVM.

CVM Superioribus diebus Carole Imperator inuictissime sub tui nominis celsitudine eum cõmentariolum publicauerim, qui de falsa diluuii diuinatione inscriptus est, Putans rem non tam utilem q̃ iucundam fecisse, hunc alterũ, qui de Regnandi peritia inscribitur, ad te quoq; destinare operepretium existimaui. Arbitrans quidem ob tot regna, quibus imperitas, lõge magis necessarium esse. Quanquam enim tibi ex tot regum ac imperatorum serie ortum ducenti naturalis fere atq; germana regnandi peritia est, tamen (ut quod in prouerbio dicitur) currenti equo calcaria adderem, ea omnia, quæ in ueteribus historiarum literis notata deprehẽdimus, & quæ a iunioribus historicis fideliter enarrata inuenimus, & quę ex tot bellis, quæ per tot annos in Italia gesta sunt, didicimus, ueritus non sum ad te scribere. Inuenies enim in his tum tyrannica, tum regia facinora breuiter explicata, ueluti in medicorũ literis uenena & antidota. Illa quidem ut fugias: hæc uero ut prosequaris. Diuisimus autem materiam uniuersam in quinq; libros. In primo quidẽ modi narrantur, quibus priuatæ gentes regna acquisierunt. In secundo arma, milites, ac modi, quibus ab hostium inuasione tutati sunt. In tertio iura, astus, uersutiæ, quibus a subditorum insultibus, defectionibus, rebellionibusque eadem præseruarunt. In quarto narrantur communia quædam, his utriq; utilia sunt. In quinto deniq; honestum regnandi

genus ostenditur: Tantorum ergo laborum Cæsar maxime præmium aliud exposco nullum, nisi ut hos libros diligenter legas. Scio enim ex ipsa lectione nos, qui sub tuo imperio sumus, non parum lucri esse reportaturos. Valeat tua celsitudo, diuq; felix imperitet.

AVGVSTINI NYPHI MEDICE DE Regnandi Peritia Liber Primus.

Quot dominationum genera sint, Cap. I.

d

OMINATIONEM eam, qua homo homini imperitat, summi philosophi Plato atque Aristoteles ita dissecuerunt, ut altera respublica, altera unius principatus diceretur. Rempublicam Græci politiam, unius uero principatum monarchiam appellant. Est igitur respublica, in qua plures dominãtur Monarchia uero cui unus præest. At ubi unus imperitat, aut is & sibi & subditis commune bonum procurat. quam dominationem Græci basiliam, nostri regnum uocarunt. Aut proprium, quam illi tyrãnidem, Romani propriè dominationem dixerunt. Licet iam in usum uenerit, ut dominatio pro quouis principatu intelligatur. At ubi plures præsint, horum dominatio multifariã rursus dissecatur. Quoniam alia est aristocratia, quę optimatũ principatus dicitur. alia demarchia, ut cum populus imperitat. Qui si suis uiribus, non autem mercẽnariis militibus libertatẽ tuetur, democratia (ut ait Polybius) uocatur. Est & alia holigarchia, quæ paucorum potestas dicta est. Sed prætermissis iis dominationibus, quibus plures præsunt, eã prosequemur, quam monarchiam, hoc est unius principatum dicunt. Eum enim principaliter intendimus. Hic ergo aut antiquus est, aut nouus. Qui antiquus est, aut hereditaria successione fit, aut electione emergit. Esse enim potest principatus antiquus, qui tamen per ipsam electionẽ efficiatur, qualis est Romanorum Pontificum, & Imperatorum, atq; Aegyptiorum Regum, qui Soltani appellantur. Nouus uero, aut penitus nouus est, qualis Hieroni Syracusanorum, atq; Francisco Sfortiæ Mediolanensium principatus omnino nouus fuit. Aut nouus est, nõ quidem omni ex parte, sed uti nouum admodum membrum hæreditario alicui principatui annexum, ut Bethicum regnũ Hispaniarum regno ab Catholico rege Ferdinando auo tuo nclyto connexum est.

πολιτεία
μοναρχια
βασιλεία
αριστοκρατία
δημαρχια
δημοκρατία
ολιγαρχια

Vnde Monarchiæ ortæ, & quot modis ad eas peruentum sit, Cap. II.

POstea uero unde Monarchiæ ortæ, & quot modis acquisitæ sint, deducamus. Nam & si natura nobis dominandi appetitum Cicero insitum esse asserat, tamen in principio nõ ex Prometheo (ut est in fabulis) sed ex summo omnium rerum opifice deo tam mirabili sapientia, tamq; præstanti dignitate homo conditus est, mandatumq; accipiens, & ipsum spernens, neglexit imperium. Namq; nimium sui amãs iam immemor effectus, unde formatus esset, ratus se maiore dignum gradu, elato animo contra opificem suum in superbiam se erexit. Quo sane uno ruente cæterorum progenitore ac parente, reliquos omnes, qui ex eo uti ex prima radice manarunt, ruere ac labi necesse fuit. Sicq; tam graui peccati mole depressum ac in terram demersum hominum genus ob uulnus ab uno inflictum, procliue ad scelera omnia ac pronum paulatim omni se flagitio contaminauit atq; infecit. Hinc fraudes, hinc doli, hinc inimicitiæ, hinc rapinæ, hinc cædes, hinc contentiones, hinc scelera omnia, ac regnandi cupido irrupe runt. Postea uero cum per diluuium totum humanum genus esset abolitum, ut delerentur hominum scelera, licet rudes gentes remansissent, tamen superbia, quæ humano generi fere cognata erat, hominibus & gentibus in uniuerso terrarũ orbe multiplicatis, iterũ uires accepit: equa oĩa hominũ scelera rursus emerserunt, potissimum ea regnãdi cupiditas, quæ ex ipsa superbia primum nascitur. Hinc ad monarchias uariis modis homines peruenerunt. Nam alii uirtute, alii fortuna, alii sceleribus, alii armis, alii dolo, alii factione, alii seditione, alii ciuium fauore, alii electione, alii deniq; successione ad regium sceptrum ascenderunt, extulerũtq;. Homines uero qui subduntur licet primo sub libertate uiuerent, crescente tamen malitia: alii sub unius imperio libere se constituerunt, alii compulsi, alii deniq; sub publica libertate, priuata uero subiectione se accommodarunt. Non enim (ut postea dicemus) sic uel aliter assuetos esse subditos, qui acquirũtur, parum refert. Quare licet in principio gentes æquales fuerint, regnandi tamen cupiditas, quæ ex superbia orta est, effecit, ut uariis modis ad imperium peruenire enitterentur. Vnde gentium inæqualitas emanauit usque adeo, ut aliæ subdantur, aliæ liberæ sint, aliæ imperitent. Effecit etiam ut qui natura serui essent, dominarentur: qui uero natura domini, subderentur. Quæ non solum a principio euenerunt, sed etiam in dies. Nam quo magis ac magis accreuit ambitio, eo magis ac magis dominationem pariter & subiectionem excreuisse constat.

De iis qui fortuna ad principatum deuenerunt, Cap. III.

CVM Multifariam homines ad principatum deuenire posse dictum sit, unus modus est, quo quis præter intentionem ad sceptrum peruenit, quo quidem modo aliquis fortuna in regnum deuenire creditur: non tamen ita fortuna, quin & prudentia comes illius aliqua ex parte sit. Hoc modo profecto (ut arbitror) Aeneas ad regnum profectus est. Nam Troia a Græcis capta, Aeneas Veneris & Anchisæ filius profugus ad Italiam uenit. Anno uero septimo post Troiæ excidium, cum Turno Dauni Rutuloq; regis filio dimicans, eum interemit, eiusque sponsam Lauiniam Latini filiam coniugem accepit. ficq; fortuna Latinorum Rex tandem creatur. Cyrus quoq; fortuna, atque (ut ita dixerim) impellente fato, ad Medorum regnum deuenit. Nam cum Astyages Cyri auus per somnium uidisset nepotem sibi futurum, qui, ut Magi interpretabantur, eum e regno fugaret, eo metu perterritus, neque claro uiro, neque ciui dedit filiam, ne paterna, maternaque nobilitas nepotis animum excitaret, sed de gente obscura eo tempore Persarum mediocri uiro Cambysæ in matrimonium tradidit. Ac nondum somnii metu deposito, grauidam ad se filiam accersit, ut sub aui potissimum conspectu fœtus necaretur. Natus itaq; infans datur occidendus Harpago Regis omnium consiliorum participi. is ueritus si ad filiam mortuo Rege uenisset imperium, eo qd nullum Astyages uirilis sexus genuerat, ne illa necati infantis ultionem, quam a patre non potuisset, a ministro exigeret, pastori Regii pecoris puerum exponendum tradidit, qui ab uxore pastoris educatus, Cum

ſtrenuus euaſiſſet, tãdem Aſtyagem auum e regno fugat, ſicq; Medorum Rex fato atq; fortuna creatur. Darius Hydaſpis filius cum certaret de regno cum Gobrya uirtute ac nobilitate æquali, ut difficilem ex his populo electionem æqualitas faceret, pacti inter ſe ſunt, ut equos ante regiam ſtatuam primo mane perducerent, & cuius equus ante Solis ortum hinnitũ primus edidiſſet, rex eſſet. Poſteradie cum ad ſtatutam horam omnes ueniſſent, Darii equus cognito loco, in quo ſerui induſtria equam antea iniuerat, hinnitum ſtatim edidit, & ita Darium Regem omnes ſalutauerunt. Poſſem alia ſexcẽta exempla eorum afferre, qui fato ac fortuna Reges euaſerunt, quæ breuitatis cauſa prætermittimus.

De iis qui per uirtutem ad regna deuenerunt, Cap. IIII.

PEr uirtutem etiam nonnulli ad regnum deuenerunt, ut primi fere omnes Reges, qui in ætate aurea regnarunt. Inter quos Saturnus ipſe, cum adhuc rudes populos domos ædificare, urbes incolere, plãtare uineas, atq; humanis moribus uiuere docuiſſet, cum antea ſemiferi glandium tantummodo alimentis ſe ſubſtentarent, qui aut in ſpeluncis, aut frondibus, uirgultiſq; contextis caſulis habitarent, his meritis non modo Rex, uerum etiam deus eſt appellatus. Numa Pompilius genere Sabinus, uita & moribus ſanctiſſimus, cum non minus ciuitati q̃ Romulus profuiſſet (Nam leges Romanis moreſq; conſtituit, quoniam conſuetudine præliorum iam latrones ac ſemibarbari uidebantur) Romanorum rex creatur, atq; inter diuos etiam relatus eſt.

De iis qui per ſcelera ad principatum deuenerunt, Cap. V:

NOn deſunt etiam qui per ſcelera ex humili & ſordido genere nati, ad regni maieſtatem deuenerint, ut Agathocles patre figulo ortus, qui magnitudini prioris Dionyſii ſucceſſit. Hic enim per ſuæ ætatis gradus ſemper ſcelerate uixit. Siquidem adoleſcens forma & corporis pulchritudine egregius diu uitam ſtupri patientia ſubſtentauit. Annos deinde pubertatis egreſſus, libidinem a uiris ad fœminas tranſtulit. Poſt hæc apud utrunq; ſexum famoſus uitam latrociniis mutauit. Interiecto deinde tempore, cum illius ſcelera magnanimitas atq; fortitudo comitarentur, a Syracuſanis in ciuitatem accitus, diu ſine ulla fide fuit: quoniam nec in fortunis quod amitteret, nec in uerecũdia quod inquinaret, habere uidebatur. Tandem ad gregariam militiam ſe conuertit. nec minus tunc ſeditioſa q̃ antea turpi uita in omne facinus promptiſſimus erat, tum quia & manu ſtrenuus, tũc quia in concionibus facundus habebatur. Et per militiæ gradus proficiſcens, breui centurio, ac deinceps tribunus militum factus eſt. Poſtea cum ad principatum peruenire conſtituiſſet, cum Amilchare Carthaginenſe, qui tunc in Sicilia exercitum habebat, rem clam pertractans, ad concionem Syracuſanum populum accerſit, ac ſi reipub. quid boni eſſet acturus. Congregato igitur concilio, ad quod & ſenatores, & diuites, & potentiores cõfluxerant, omnes, ut interimerent, ſuis militibus mandauit. quibus interemptis, ſine omni ciuili ſeditione urbem occupauit, atq; imperium diu ſeruauit. Nam licet a Carthaginenſibus bis per eruptionem pugnans exuperatus, & in urbe tandem obſeſſus eſſet, nullis tamen rebellionibus a ciuibus factis, non modo ab hoſtibus urbem defendit, uerumetiã aliquibus copiis in urbis defenſionem relictis, cum aliis ſtrenuis Aphricam inuaſit, ſicq; breui Syracuſas ab obſidione liberauit, & Carthaginenſes ad extremam uſq; neceſſitatem deduxit, atq; ita fœderibus inter ſe firmatis, Carthaginenſes Aphricam, ipſe Siciliam pacifice diu tenuit. Agathocles igitur nec fortuna, nec uirtute ad imperium peruenit. non fortuna quidem, quoniam gradatim per militiæ ipſius gradus ad regni maieſtatem promotus eſt: uirtute uero minime. Nõ enim uirtus eſt ciues necare, ab amicis deficere, ſine fide, pietate, atq; religione omnia agere. Hæc & ſi nonnunquam ad maieſtatem hominem, non tamen ad gloriam prouehunt. Nam inſpecta animi magnitudine, qua audacter pericula adibat, atq; prudenter ipſa euitabat, qua ue aduerſa ferebat atq; exuperabat excellentiſſimus dux, atq; nullo alio inferior (ut ita dixerim) cenſori debuerat. Verum efferata immanitas atq; infinita admodum ipſius ſcelera, quibus uitam deturpauit, fecerunt ut inter illuſtres uiros nõ celebraretur. Noſtra uero tempeſtate Oliueretus Firmanus ſub Alexandro. VI. Pontifice alter Agathocles euaſit, ſcilicet parua magnis cõponere.

Hic enim defuncto patre, cum in pueritia a Ioanne Folliano patruo pie, ut decebat, ac benigne educaret, annos pubertatis egressus, ab eodē patruo ad Paulū Vitellum sua ætate uirum strenuum, ut militarem disciplinam ab eo disceret, mittitur. Militauit aūt sub eo pluribus mēsibus. Postea Paulo mortuo, sub Vitellotio Pauli Vitelli fratre aliquot annis. At cum hic Oliueretus suis uiribus plurimū tribueret, Vitellienſium atq; Firmanorum quorundam fauore assumpto, quibus propter scelera seruitus patriæ iucundior q̄ libertas erat, patriam occupare excogitauit. Huius rei causa ad Ioannem Follianum patruum literas dedit, quibus significauit q̄ cum diu extra patriam & disciplinæ & uirtutis causa permansisset, optabat & eum, cui plurimum deberet, & ciues, quos mirifice amaret, & sua etiam bona reuisere. Et cum assereret se nullam aliam ob rem elaborasse nisi honoris causa, ut hoc ipsum ciues crederent, significauit se cum centum equitum comitatu uenturū esse, rogans patruum curare ut a Firmanis honorifice susciperetur, quia id non tantum sibi, sed ipsi quoque, qui educauerat, esset honorificum. Ioānes offitium, quo erga fratris filium fungi debebat, præstitit, curauitq; ut Firmani comiter eum susciperent, propriis quoq; laribus magna cum expectatione excepit. Aliquot ergo postea diebus cum suæ patriæ proditoribus, rem, quam constituerat, pertractans, tandem solenne conuiuium parat: ad quod & patruum & omnes primates inuitat. Completis itaq; poculis & epulis, tandem signo dato a militibus ipsis, quibus id negotium datum erat, & patruus & primates omnes interempti sunt. Ipse uero per urbem equitans, eam demum occupauit. & omnibus his interfectis atq; deletis, a quibus lędi poterat, tyrannus creatur. atque nouis legibus & ciuilibus & militaribus constitutis, per unum annum principatum tenuit. Et longe diutius tenuisset, nisi ulciscente Deo, a Cæsare Borgia Pontificis filio ob proditionem, & infidelitatem in Senogallia interemptus esset.

De iis qui per arma ad regnum peruenerunt, Cap. VI.

SVnt etiam qui per arma regna occuparunt, inter quos Ninus Assyriorum Rex primus fuit. Antea enim fines imperii tueri magis q̄ proferre mos erat. Siquidem intra suā cuiq; patriam regna finiebantur. Hic uero uetus & auitum noua imperii cupiditate mutauit. Nam primus bella finitimis intulit, & rudes adhuc ad resistendum populos usq; ad Libyæ terminos perdomuit. Fuerunt tamen Nino longe antiquiores Vexores Aegypti Rex, & Scithyę Rex Thanais, quorum alter in Pontum, alter usq; Aegyptum excessit. Sed longinqua non finitima bella gerebant: nec imperium sibi, sed populis suis gloriam quærebant, contentiq; uictoria, imperio abstinebant. Postea alii reges quasi per manus succedentes Nini exemplo & regna & aliena bona dominandi cupiditate ui atq; armis occupauerūt. Cum apud eos æquum sit iusiurandum uiolare, iuxta illud Euripidis, quod Cæsar dictitare solebat. Si iusiurandum uiolandum est, regnandi causa est uiolandum. Verum alii propriis armis regna aliena occuparūt. ut Romani, ut Gothi, qui magnam per aliquot annos tenuerunt orbis partem, Spartani Græciam. alii alienis, ut Franciscus Sfortia, cum Mediolanum subegit. alii mixtis, ut Hannibal, quum Italiam inuasit. Nam ex omni gente exercitum congregauit.

De iis qui per dolum Tyranni euaserunt, Cap. VII.

DOlo etiam Pisistratus tyrānidem occupauit. Quippe uerberibus domi affectus, laceratoq; corpore in publicum progreditur, & aduocata concione uulnera populo ostendit de crudelitate principū, a quibus hæc se passum simulabat, quæritur. Adduntur uocibus lachrymæ. & insidiosa oratione multitudo credula incenditur. Amore plebis inuisum se senatui affirmat. Obtinet ad custodiam corporis sui satellitum auxiliū, per quos occupata tyrannide per annos .xxxiiii. regnauit. Phalaris etiā cū Hinierenſes eū sibi imperatorē cōstituissent, simulans acerrimos atq; infensissimos inimicos, qui aduersus se cōspirauerant, propterea q̄ esset patrię fautor atq; libertatis amator, sui corpis custodes petit, ut dolo

tyrānidem occuparet, quam Steſichorus poeta hoc apologo impediuit, in concione dicens. Equus prata ſolus obtinebat, quorum cum ceruus aduenies paſcua deuaſtaſſet, de ultione cerui hominem conſuluit, ſi una ſecum pœnas poſſet ex ceruo ſumere. At ille facile inquit ſi frenum patieris, & ego in te haſtam tenens aſcendero. Accepit equus conditionem, aſcenditq; in ipſum homo, & ita pro ultione huiuſmodi ſeruiuit, & ſic libertatem amiſit. Quamobrem & uos (inquit) cauete, ne cum uelitis hoſtes ulciſci, idem quod equus patiamini. Frenum iam accepiſtis. Si uero cuſtodiam dederitis, & aſcendere permiſeritis, ſeruietis profecto Phalaridi. Hoc ergo apologo Steſichorus fertur tyrānidem Phalaridis impediſſe. Fuit autem Phalaris Agrigentinorum tyrannus, orator callidiſſimus, non tamen defuit quin tandem perſuaſione Zenonis philoſophi ab Agrigentino populo lapidibus obrutus fuerit. Dionyſius iunior inter initia regni diſſimulatum animum prius ad fauorem popularium conciliandum intendit, excuſatius facturus quod ſtatuerat, ſi probatus ante omnibus foret. Hinc nexorum tria millia a carcere dimittit, tributa populo per triennium remittit, & quibuſcunq; delinimentis poteſt, animos omniū ſollicitat, ut ad deſtinatum facinus quod propoſuit peruenire. Poſtea cum uiſum fuiſſet libere tyranni dem poſſe occupare, non cognatos tantum fratrum, ſed & ipſos fratres interfecit, ut quibus conſortium regni debebat, ne ſpiritus quidem conſortii relinqueretur. ficq; tyrannidem in ſuos prius q̄ in externos auſpicatur.

De iis qui factione ad regnum peruenerunt, Cap. VIII.

QVI uero ex factionibus tyranni euaſerunt, quamplurimi fuerunt. Illuſtriores tamen Sylla & Cæſar. Ille enim Marianis attritis atq; fugatis dictaturam occupauit, quam poſtea libero atq; proprio (ut aiunt) motu renuit. Hic uero fugatis Pompeianis imperium aſſumpſit. Verum cum agere inſolentius cœpiſſet, & contra conſuetudinem Romanæ libertatis honores ex ſua uoluntate præſtaret, qui antea ad ſenatum referebantur, nec ſenatui ad ſe ueniēti aſſurgeret, aliaq; regia & pene tyrānica faceret, aconiuratis. lx. uel amplius ſenatoribus equitibuſq; Romanis, inter quos præcipue duo fuerunt Brutus & Caſſius, in ſenatu. xxiii. uulneribus confoſſus eſt. Fuerunt etiā alii iuniores, qui aduerſę factionis ſectatoribus fugatis tyranni euaſerunt. Sed hi ſufficiant ad exemplum.

De iis qui ſeditione ad principatum elati ſunt, Cap. IX.

SVnt inſuper qui & ſeditione ad principatū elati fuerunt: inter quos meliorem uiam ſecutus eſt Solon. Hic enim cum inter ſe ciuitas diſſideret, atq; per ſeditiones diuiſa trifariam eſſet, in Diacreos, Pēdreos, atq; Paralios (Hæc enim omnino capita partium erant) nullis ſe imiſcuit, nulli factioſe ſe dedit. quippe qui ſe cūctis cōmunem præbuit, omnia dicēs agensq;, quæ ad concordiam ferrent. Quamobrem cōmuni conſulto & diſcordiarum tranſactor, & legumlator egregie declaratus eſt. Ad extremum hac uia, his artibus ciuitatem cōſtituit, & rempub. optimis inſtitutis ac legibus temperauit. Orgilai etiam fratres apud Delphos & ſeditione principes euaſerunt. Nam cum Delphis maxima ſeditio orta eſſet: q; Orgilaus Phalidis filius Cratetis ducturus filiam, dum rem ſacram de more facere uult, craterem interlibandum ultro forteq; de repente ruptum animaduertit. Portentum hoc denouēdum ratus, infectis nuptiis relicta ſponſa, cum patre inde confeſtim abiit. Ea re Crates infenſus, Orgilaum & fratres nō multo poſt ſacrificantes adortus, ut præcipites ſe darent, compulit. Iterum amicos familiareſq; ſupplices in templo Prouidentiæ impetu facto oppreſſit. At Orgilai fratres Cratetem & reliquos eius factionis homines ex compoſito aggreſſi, interemerunt. & ita apud Delphos ut principes habentur.

De iis qui fauore ciuium ad regnum peruenerūt, Cap. X.

SVnt etiam qui nec ſceleribus, nec ui, nec aliis obſcenis modis, ſed ciuium ſuorum fauore ad dominationem peruenerunt, qui non abſolute domini aut principes dici poſſunt. Non enim ore aperto imperitāt, ſed precibus & conſiliis Quippe cum eorum preces atq; conſilia plus q̄ mandata ciuibus ſint. Nam qui non obtemperant, ut hoſtes proſequuntur. Huiuſmodi noſtra ætate fuerunt Laurentius

Medices Leonis .X. Pontificis maximi pater uir prudentissimus apud Florentinos, Ioannes Bentiuolus apud Bononienses, Pandulphus Petrutius apud Senēses. Hi enim omnes per popularem fauorem iucundam tyrannidem diu tenuere.

De iis qui electione ad regnum peruenerunt, Cap. XI.

PEr electionem uero sunt, qui aut statuto, aut toto suæ uitæ tempore ad regnandum eliguntur, ut Romanorū Imperatores, & Pontifices, Aegyptiorumq; Reges, qui Soltani dicuntur, & cæteri id genus. Antiqui enim qui rudes erāt, cum domos ædificare, oppida incolere, humanis deniq; moribus uiuere ignorarint, eos reges sibi eligebāt, qui magis prodesse possent. Verum de legitima electione in quinto libro differendum est.

De iis qui successione Reges facti sunt, Cap. XII.

PEr successionem deniq; Reges fiunt, qui aut matri, aut patri Regi in regnum succedunt. Hoc autem fit aut iure hereditario, aut adoptione, & hoc uel a patre legitimo rege, uel a patre quouis modo principe aut tyranno. Vnde si pater rex factus sit aut fortuna, aut uirtute, aut sceleribus, aut armis, aut ui, aut dolo, aut factione, aut seditione, aut ciuili fauore, licet tyrannice factus sit, qui tamen huic succedit, rex ab historicis dicitur. Verum antiquitas legitimum successorem asserebat eum, qui iure hereditario patri legitimo regi succedebat, Quibus perspicuum est primam regum originem, ut Diodorus deducit, fuisse aut tyrannidem, aut electionem. Hactenus de modis, quibus regna acquiruntur.

AVGVSTINI NIPHI MEDICAE DE Regnandi Peritia Liber Secundus.

PROOEMIVM

CVM de modis quibus regna acquirantur dictum sit breuiter, nunc de modis, quibus regna diu a regibus possidentur, agendum nobis est, & primo quidem generatim, postea per capita.

Modi quibus regna diu possidentur, generatim hic exponuntur. Cap. I.

REgna ergo conseruantur atq; possidentur tribus (ut Aristoteles auctor est) fūdamētis, fortitudine, iustitia & iis, quæ his subseruiunt. Fortitudine quidem in bellis, iustitia uero in pace, quæ his seruiunt utroq; tempore bellorum & pacis. Quare de armis primo nobis dicendum est, quibus regna ab hostibus defenduntur. Postea de modis quibus in pace principes sua regna a popularium insultibus & ab hostium inuasionibus seruant. Demum de cōmunibus quibusdam, quæ his utrisq; seruiunt. Procedemus autem in omnibus more nostro peripatetico.

Quot sint militum atq; equitum genera, quibus pro regnorum defensione atq; custodia utuntur Reges. Cap. II.

MIlitum, aut equitum genera multiplicia esse, ex ueteribus historiis patet. Nam alii sunt proprii, ut puta Romanis ducibus milites, qui genere Romani sunt: Spartanis milites, qui genere Spartani: Gallis uero, milites Galli. Sunt insuper proprii, qui a Regibus aut creātur, aut in militia eruditi ntur. Alii mercēnarii, ut puta qui mercede atq; stipendio conduci consueuerunt, ut Gallorum Regibus mercennarii Heluetii esse solent. Auxiliares alii, ut qui ex fœderibus in auxilium mittuntur ac amicis ac fœderatis, aut ab aliquo potentiori. Alii deniq; misti, ut puta uel ex propriis

& mercēnariis, uel ex propriis & auxiliaribus, uel ex mercennariis & auxiliaribus, aut mixti ex his omnibus.

Mercennarios milites pro regnorum defensione atq; inuasione esse minus utiles q̄ sint proprii, Cap. III.

DIuisione hac prætermissa, dicamus q̄ mercennarii milites (ut mihi uidetur) in bellis parum aut nihil prosint, nec pro regnorum defensione, nec inuasione satis utiles sint. Sunt enim discordes, factiosi, plerunq; infideles, nec multum de proprio honore ac nomine solliciti. Causa uero est q̄ non honor, aut uictoriæ cupiditas, sed stipendium ac lucrum eos in bellis detineat, iuxta illud Horatii. Ibit eo quo uis, qui zonam perdidit. Præterea dum in pace Reges sunt, stipendiarii milites perlibenter seruiunt, seq; strenuos ostendunt. & hæc quidem nullam aliam ob rem agunt, nisi ut stipendia percipiant. Adueniente uero bello, alii se ægrotos fingunt, alii aufugiunt, alii alia simulant: deniq; pauci eorum adsunt, qui temporibus pacis montes & maria se facturos pollicebantur. Et quoniam Italiæ militia multorū annorum curriculo in mercennariis militibus collocata fuit, hinc euenit ut a Carolo. VIII. Gallorum Rege inuasa, statim rueret. Nam licet mercennarii illi milites nonnulla fortitudinis signa ante Caroli aduentum ostentarint, magnamq; Italiæ partem regibus suis aut subegerint, aut pacarint, externo tamen Regi, qui propriis atq; mixtis armis Italiam inuasit, illico succubuerunt. Q.d' mercennarii milites parum aut nihil regibus prosint, hinc etiam demōstrari potest. Nam aut eorū duces fortes aut timidi sunt. Siquidem fortes non regum bonum, sed proprium procurabunt. quippe cum non nisi lucro inhient. Sin autem timidi fuerint, nec regibus, nec sibi ipsis prodesse poterunt. Q.d' si dicas proprios etiam milites proprium bonum attendere magis q̄ bonum regis, dicemus hoc eos procurare interdum suo rege absente. At cum rex ipse aderit, proprii milites id plerunq; procurabunt, quod rex desyderat atq; intendit: Secus uero, si mercennarii aut auxiliares fuerint. Nam mercennarii & præsente & absente rege stipendia magis q̄ regis bonum appetunt. Non enim eum amant ac timent, nec illius causa agunt, sed sui potius, aut eius a quo in auxilium

in auxilium mittuntur. Q.d' autem mercennarii milites interdum offuerint, testes sunt Carthaginenses, qui primo bello cum Romanis finito, licet ipsi eorum duces Carthaginenses essent, a mercennariis tamen militibus fuerunt fere oppressi. Philippus Macedo post Epaminundę mortem cum crearetur Thebanorum dux, eos postea sibi subiecit. Franciscus Sfortia mortuo Philippo Mediolanensium duce, cum ab illis dux exercitus crearetur, exuperatis Venetis ad Caruagium, Mediolanenses inuasit, ut eorum princeps fieret. Sfortia uero Francisci pater cum esset Reginæ Ioannæ mercennarius dux uno die nulla causa cognita eam penitus inermem dereliquit, usque adeo quidem, ut cogeretur Alfonsum Aragonum Regem ex Hispania accersere, atq; illico aduocare. alioquin de regno Neapolitano actum erat. Spartani autem atq; Romani duces, qui propriis armis aliorum regna inuaserunt, & illa, & proprias res publicas multis sæculis feliciter tenuerunt. Heluetii uero licet numero pauci sint, & inter magnos reges collocati, a quibus facile debellari possent, q̄ propriis armis utantur, & ad propriam libertatem omnes intendant, nulli eorum subduntur. & longo tempore in maxima libertate uixerunt. Hieron Syracusanus cum militum dux crearetur. & mercennarios milites inutiles esse nosceret, mox eos deleuit, & propriis armis inde rem gerere cœpit. Romanorum quoq; imperium ita deletum fuit. Vbi primum enim Gothos feram gentem ad stipendia nostri imperatores uocarunt, statim ad nihilum redactum est.

De Florentinis & Venetis. Cap. IIII.

SI quis autem aduersus ea, quæ diximus, Florentinos & Venetos obiiceret, qui mercennario milite suas respub. locupletarunt, & tutati sunt, respondebimus id non eorū prudentia, sed fato quodam aut fortuna factum esse. tum finitimorum inuidia, ac Italiæ discordia, ac seditionibus, quæ eorum gliscentibus rebus maxime uiguerunt. Fato quidem, quoniam statutis temporum curriculis quædam regna crescunt, quædam decrescunt. Vnde declinante Romano imperio, & urbis Romę magnitudine, ex eorum ruinis urbes hę emerserunt. Fortuna uero. Nam strenui duces, qui eorum sti-

pendiis merebant, illorum hostes aut non penitus exuperarunt, & ita contra illos occupati, in Florentinos non se conuerterunt. aut illis exuperatis, uictricia arma erga eos conuertere permissum non est, uigente adhuc aliorum ducum emulatione. Nam & Sfortia, qui pro Florentinis rem strenue gessit, ne in eos arma conuerteret, Brachienses obstiterunt. Alii uero suis factionibus intenti, quibus Italia diu conflictata est, ad imperium non aspirarunt. Nonnulli & si hostes oppressserint, suam ambitionem ad alia transtulerunt: Vt Franciscus Sfortia regnandi cupiditatem in Galliam Cisalpinam ac Mediolanensium dominatum direxit. Brachius uero aduersus Romanum Pontificem, ac Neapolitanum Regem. Adde q̄ finitimi potentatus ne alter altero maior fieret, suas uicissim respub. quamuis animo non bono inter se tutati sunt. Cuius rei clarissimum exemplum prębent nobis Lucenses, qui quāuis exiguis sint uiribus, finitimorum tamen inuidia inter tot hostes, qui eorum rebus inhiant, adhuc in libertate durant. Veneti etiam dum propriis militibus aliorum principatus maritimis classibus inuaserunt, armipotentes omnibus uisi sunt. Postquam autem mercennariis militibus usi, terrestes copias comparārunt, & si lēto accessū omnem ferme transpadanam regionem adepti sunt, tamen id omne temporis puncto nuper amiserunt: quo die ad Abduam cum Ludouico Gallorum Rege conflixerunt. Patet igitur q̄ ex Mercennariis armis principatuum acquisitiones fortuitæ ac nimis lentæ sint, & non nisi in longis temporum curriculis fiant, ammissiones uero certæ, subitariæ, atq; omnibus mirabiles existant.

Quomodo Italia uenit ad mercennarios milites, & qui primi milites in Italia. Cap. V.

SEd quonam modo ad illos Italia peruenerit, non est difficile exponere. Nam postquam Romanus Imperator, quiin Germania eligitur, ob causas, quas alibi fortasse dicemus, uires suas in Italia imminuere cœpit, Pontificum q̄ ambitio a sacris ad imperia inhiauit, ac ob factionum capita uiribus aucta est multæ respub. Pontificis fauore, multi quoq; noui principatus exorti sunt. Multæ insuper præclaræ urbes aduersus suos primates arma cœperunt, qui imperatoris iussu in eis imperitabant. Hinc alię sub imperio Pontificis, aliæ sub ipsorum ciuium regimine permanserunt, ab imperatoris dominio deficientes. Et cum tam sacerdotes quam ciues imbelles atq; armis inassueti essent, externos ad stipendia conduxerunt. Hinc Italia mercennariis militibus & quidem externis diu usa est. Illustris inter mercennarios Italos patrum nostrorum memoria Albericus Romandiolus primus fuit, ex cuius disciplina tanquam ex equo Troiano emerserunt quāplurimi. Illustriores uero Brachius & Sfortia, post quos per manus alii successerunt ad usque Caroli .VIII. Gallorum Regis tempora.

Q.d Auxiliares milites inutiliores, ac periculosiores cæteris sint. Cap. VI.

POst hæc de auxiliaribus militibus dicamus, præsertim de iis, qui ab aliquo potentiori in auxilium minus potentis mittuntur: hi sunt periculosiores. Nam si is, ad quem mittuntur, ab hostibus exuperaretur, inermis penitus derelinquetur, nec habebit unde possit rursus uires assumere. Sin autē suos hostes exuperauerit, in eius potestate manebit, qui auxilia misit. Huius rei exemplum nobis attulit annis superioribus Constantinopolitanus Imperator, in cuius auxilium cum mitterentur .X.M. Turcarum, post uictoriam per eos consecutam, fuerunt usq; adeo imperio infesti, ut breui admodum tempore de eo actum sit. Q.d uero auxiliares milites mercennariis periculosiores sint, ex eo patet, quoniā semper post uictoriam omnes sub unius obedientia coniurati atq; uniti sunt. Quare quamprimum eius hostes exuperauerint, in cuius auxilium mittūtur, tam primum si uoluerint, eū sibi subiicient, cui auxilio extiterunt. At mercennarii milites præsertim si ex diuersis regionibus fuerint, dux etiam ab eis genere differens, non sic sub obedientia unius coniurati eum inuadere poterunt, cui deseruierunt: potissimum ubi stipendium, quo militabant, defuerit. Hinc euenit ut mercennarii ob ignauiam, auxiliares uero ob potentiam periculosi sint. Fit etiam ut princeps, qui non temeritate, sed prudentia bellū gerit, potius cum suis perdere, quam cum alienis uincere debeat.

Qđ mixti milites minus periculosi, ac minus inutiles sint, q̃ mercennarii atq; auxiliares, non tamen ita utiles sicut proprii. Cap. VII.

NVnc de mixtis militibus agamus, sunt itaq; mixti, qui partim ex propriis, partim ex mercẽnariis, uel auxiliaribus constant. Nam qui ex mercennariis atq; auxiliaribus miscentur, penitus inutiles habendi sunt. Est enim philosophorum regula, si partes inutiles, ac periculosæ sunt, totum ipsum quod ex illis constat periculosum, atq; inutile est. Qđ uero milites, tum ex propriis, tum ex mercennariis permixti utiliores sint, q̃ mercẽnarii aut auxiliares seorsum, testatur Gallorum potentia, quæ q; mixta fit ex Heluetiis mercennariis, & Gallis equitibus propriis, lõge maior est qua uis, aut mercennaria, aut auxiliaria seorsum. Ludouicus enim Gallorum Rex qui proxime obiit (ut supra dictum est) ad Abduã Venetorum exercitum longe maiorem exuperauit, nec aliam obrem, nisi quia suus exercitus ex propriis. Venetorum uero, ex mercennariis, dumtaxat, mixtus erat. Præterea exercitus ex propriis permixtus, atq; mercennariis longe pollentior est, q̃ qui mixtus esset ex propriis, atq; auxiliaribus militibus, minus etiam periculosus, causa autem est, ut diximus, q; mercennarii utiliores, atq; minus periculosi sint auxiliaribus. Qđ si aliquando huius rei contrarium obseruatio demonstrauit, id non ratione, sed temere, atq; fortuna factum est, quippe cum fortuna id agat, qđ præter rationem, atq; consilium est. Romanorum exercitus qui aliquando auxiliares, aliquando præsidia habebat, hos non ex æquo cum propriis aut in maiore numero habuisse legimus, sed aut minus strenuos, aut ita ad paruum numerum redactos, ut eorum exercitum iuuare possent, lædere uero minime. Qđ autem mixti ex propriis, atq; mercennariis militibus minus his pollentes sint, qui proprii, Testatur Carolus. VII. Gallorum Rex, qui cum uniuersam Galliam mixto exercitu a fato, aut fortuna ab Anglorum armis liberasset, illico propria arma cæteris tutiora, atq; pollentiora esse animaduertit, ut inde tam pedites, q̃ equites utrosq; Gallos constitueret, & inter illa tempora Gallorum potentia, pollentissima fuit, Ludouicus uero. XI. Caroli filius ob rixas, quæ inter equites, aut pedites exortæ fuerunt, imprudenter peditatum dissoluit. In quorum uices ad eius stipendia Heluetios conducere cœpit, & inter eius tẽpora Gallorum potentia usq; adeo imminuta fuit, ut Galli hodie sine Heluetiis nihil se posse facere arbitrentur.

Qđ sine propriis armis princeps quilibet non tute, sed fortuna, aut casu imperitet. Cap. VIII.

SI itaq; propria arma ea sunt, quæ aut ex propriis subditis, aut propriis ciuibus, aut propriis alumnis constant, fit ut omnis principatus sine uiribus perinde atq; eneruatus sit habendus, qui sine propriis armis possidetur. Quo fit ut omne regnum atq; imperium sub fortunæ potestate contineatur, quod propriis armis decoratum atq; munitum non est. Modus uero quo optimus atq; strenuus princeps arma propria ordinare, atq; eligere, quoue exercere, atq; ad bella disponere, ac parare debeat, ex Ppilippi Alexandri Magni patris atq; Romanorum, ac Spartanorum gestis facile intelligi potest. Hi enim præcipui fuerunt, qui propriis armis uti non ignorauerunt. Inter nostra autem tempora Heluetii atq; Germani magni militiæ magistri habentur.

De Considerationibus, quæ ei necessariæ sunt, qui bellũ adire uult, ex quibus uis militibus. Cap. IX.

POst hæc de his considerationibus agendum est, quæ ei necessariæ sunt, qui bellum aut pro defensione, aut pro offensione gerere intendit. Aristoteles itaq; philosophorum princeps in Rhetoricorum magnorum libris has quatuor esse ostendit, sine quibus dux nullus nisi temere uictoriam assequi poterit. Prima quidem ut non ignoret copias, & quantæ in præsentia sint, & quam maximæ esse possint: aut ex propriis armis, aut per socios, aut per amicos, aut per fœderatos, aut per stipendia, quæ mercennariis militibus dari solẽt: itemq; & q̃les, an in militibus, an in classe. Præterea an milites effœminati, an bellicosi. Insup si tyrones, an ueterani Ad hæc quales militum duces. Non enim in bellis parum fructus affert ducis fortitudo ac prudentia. Nam (ut prouerbiũ est) potẽtior is exercitus est censendus, qui ex ouibus cõstat,

modo leo præsit,q̃ is,qui ex leonibus, si modo ouis dux fuerit. Secunda deinceps consideratio ex his ciuitatis gestis colligitur, quæ in bellis adnotata sũt. Debet enim qui exercitum ducit, respicere quæ bella rex aut ciuitas gessit, & quomodo finierunt, an cum uictoria an contra. Hæc etiam ex parte hostium considerandasunt. Debet enim dux copias eius considerare, cum quo bellum agendum est: ut quantæ sint in præsentia, quantæq; esse possint, aut ex propriis, aut ex mercennariis, aut ex auxiliaribus, quæ per amicos aut socios, aut fœderibus iunctos, mittũtur. Amplius & quales sint, an nostris bellicosiores, an imbecilliores. Tertia est ut de finitimis hæc eadẽ considerentur, ut quantæ sint finitimorum copiæ, quantæq; esse possint, & quales. Insuper quæ bella finitimi gesserunt, & quo modo finierunt, ut pax & amicitia ac societas ac fœdus cum melioribus habeantur, cum minoribus uero bellum geratur. Demum & quarto ad hæc scire pertinet bellorum euentus non modo proprii regni hostium atq; finitimorum, uerum etiam aliorum quorumcunq;. Similia enim a similibus fieri consueuerunt.

Quousq; princeps bellicis rebus studere debet. Cap. X.

PRinceps uero, ut ex hisce patet, qui & se defendere, & aliena inuadere cupit, nulli arti, nulli facultati, nulli scientiæ studium adhibeat, nisi ipsi militiæ, imo quæcũq; facit aut relaxandi gratia, aut cuiusuis alterius causa, omnia in militiæ studium dirigere debet. Siquidem hæc sola ad eum attinet, qui imperitat, per hanc non solum qui successione principes sunt, conseruantur, sed etiam ex priuatis principes euadunt. Franciscus Sfortia per hãc ex priuato Mediolani princeps creatus est. Eius filii, qui hanc partem neglexerunt, quiq; libidinibus ac uoluptatibus studuerũt, ex principibus priuati facti sunt: præsertim Ludouicus Sfortia Heluetiis prodentibus, a Ludouico Gallorum Rege turpiter captus, in carcere fæde periit. Præterea princeps qui sine armis uitam ducit, inter alia mala, quæ ipsi contingunt, hoc potissimum est, q̃ ab omnibus ueluti deiectus contemnitur. Nam inter ipsum & armatum principem ea ratio est, quæ inter nudum inermem & uestitum armatum esse uidetur. Nullus enim nudum inermem ueretur, uestitum armatum quilibet magnifacit. Cum prædicasset Leoni Vulpes (ut Aesopus fabulatur) de ipso homine multa Leo inquit, uellem o Vulpes hominem uidere, forte enim eum non ita pertimescerem, ut tantopere timendum esse prædicas. Illis sic de hominis magnitudine differentibus, quidam homo pauper & inermis occurrit. Leo Vulpi inquit. Est ne hic homo? Sagax Vulpes, non profecto inquit. Paucis deinde uerbis interpositis, homo alter occurrit balista gladio, & aliis plurimis armis bene munitus. Tum Vulpes. En Leo, hic homo est. At Leo eum timens, iter, ut potuit, arripuit. Per quæ Aesopus a fabulatus est hominẽ atq; principem esse contennendum, nisi armis & quidem fortissimis fuerit decoratus, atq; munitus.

Quomodo in pace Princeps militari facultati uacare debeat. Cap. XI.

SEd non parua ex his quæstio exoritur. Si enim semper militiæ princeps uacare debet, tunc eius uita semper in bellis uersari deberet, Quare pax non erit bellorum finis. Accedit ad hæc q̃ actiones bellicæ (ut Aristoteles inquit) non propter se ipsas expetibiles sint, sed hæc dubitatio (ut mihi uidetur) eo contingit q̃ rudes arbitrentur, aut principem rebus pacis studentem, non oportere: aut in pace principem nõ posse militiæ studiis incumbere. Nos autem, principes qui in pace sunt, bifariam militiæ studiis operã dare posse asserimus, opere, atq; mẽte. Opere quidem rursus bifariam, aut per ludos parando atq; exercendo milites, quibus in bellis uti uoluerũt, ut Græci in Olympiadibus, & Romani in agonibus faciebãt. Nostris uero temporibus Heluetii, atq; Germani, qui nõ aliis ludis utuntur nisi his, quibus in militia milites dociliores atq; aptiores sint. Huius rei exemplum nobis Vitellotius p̃buit. Hic. n. quosdam pedites pacis tẽpore ita exercuit, atq; instituit, ut belli tempore oẽs quo uis modo pollentissimos aggredi auderent, & in militia adeo instructi ad conflictum proficiscebantur, ut terga hostibus dare nunq̃ sint uisi. Insuper aut per uenationes. Per has. n. princeps atq; milites magnis laboribus assuescũt. Nam niues, æstus, atq; famẽ p̃dæ auiditate perferũt. Equitãdo quoq;, currendo, prosiliendo, aduersum montem ascendendo, robustiores atq; duriores fiunt, cum feris congrediendo, animo quoq; promptiores. Præterea speciem nõ patuam fortitudinis præse fert uenatio. Et cum re bellica

(ut Plato inquit) magnam similitudinem tenet. Adhuc per uenationes locorum differentias facile cognoscimus, ut planorum, montium, uallium, fluminum, atq; paludum, quæ locorum cognitio bifariam nobis utilis uidetur. Primo quia per eam propriæ ciuitatis loca apprehendimus, ex qua melius unde offendere hostes, & quonam modo ab eis defendere ciuitatem poterimus, perfacile cognoscemus. Deinde quia ex apprehensione locorum, quæ nostræ regionis sunt: cæterarum regionum loca uestigare animo poterimus, quoniam regio omnis, omni regioni aliqua ratione persimilis esse uidetur. Siquidem omnis regio planis, montibus, uallibus, fluminibus, ac paludibus constat. Cognita autem locorum differentia, castrametari, hostes inuadere, exercitum ducere, diem conflictus deligere, urbes expugnare facile princeps poterit. Testatur rē hanc Prosper Colūna tuæ Maiestatis strenuiss. Dux, qui pauloante paucioribus copiis, atq; minore potentia, ob locorum scientiā & castrametandi peritiam, In agro Mediolanen si Gallos, p̄ter multorum opiniōem, gloriosissime superauit. Philopomenes Achęorum princeps, inter alias multas, quas ipsi laudes tribuunt historici, hanc summopere præferunt, q̄ tempore pacis in bellicis operibus semper fuerit. nam per plana, aut montes, aut ualles, aut flumina, aut paludes cum suis ambulans, bellicos casus semper ipsis proponebat, dicēs, hostes si illinc uenirēt, nos autem hic castrametati essemus, quis nostrum melius ad prælium paratus esset? Præterea quonam modo ordinem militum seruando eos inuadere poterimus, quomodo incolumes repedare. Insuper si retrocederēt ipsi, quomodo nos illæsi assequi eos poterimus. Vnde casus omnes qui in bello contingere solent, semper cum suis acerrime differebat, sicq; eorum opiniones colligendo & suam disputando, adeo meliores menti mādabat, ut nihil periculosi, atq; inopini in bello euenire posset, quin paratum remedium, atq; promptum haberet. Hūc modū declamatores seruant, qui in ficto themate se exercent. Nā (ut Caluus scribit) declamatio est domestica exercitatio. Solebant enim Romani adolescentes eloquentiæ studiosi, exercendi ingenii gratia, inuehi orationibus in eos, quos scirent aliquo crimine posse notari. Philopomenes itaq; eodem modo in fictis bellis declamationes conficiebat, ut tempore ueri belli parata remedia haberet. Quo igitur modo ex opere princeps tempo-

ribus pacis militiæ uacare possit, ex hisce perspicuum est. Quæ uero mente, patet, si uirorum Illustrium gesta legerit. Ex eis. n. princeps appræhendere poterit, quo nam modo in bellis, atq; conflictibus se gesserunt, quibus e causis alter uictor, alter exuperatus fuit. Debetq; optimus Princeps in bellis Illustrium aliquem imitari, gestaq; illius omnia memoria firmiter tenere, ut illius imitatione, in militia quotidie doctior fiat. Hac ratiōe Alexander Achillem imitatus est, Scipio Cyrum. Ex Cyri. n. imitatione, ob castitatem, affabilitatem, humanitatem, atq; liberalitatem, quibus officiosissime Cyrus utebatur, Scipio immortalē gloriam consecutus est. Quare strenuissimus Princeps, qui & Regnum suum defendere & alienum inuadere cupit, tam pacis q̄ belli temporibus, nec opere, nec mente a militia uno temporis momēto quiescat. Ab eo. n. qui tuto imperitare cupit, huic potissimum studium adhibendum est, non tamen adeo, ut res pacis prætereat, quinimo maiore diligētia, ut Romani Duces rebus pacis, ac uirtutum studiis, ītētus sit. Oportet quippe, cum hoc regium, illud tyrannicum sit.

Modi quibus Principes principatum cōseruarūt. Cap. XII.

NOn desunt alii modi, quibus Principes suum principatum cōseruarunt. Nam alii subditis arma substulerunt nonnulli eorum principatus factionibus dissecuerūt, Alii inimicitias contra se fouerunt. Procurarunt uero alii, ut qui a principio sui Regni hostes essent, beneficiorum collatione amici fierent. Alii arces, locaq; difficilia construxerunt. Alii contra hæc diruerunt. His enim modis Regna conseruare crediderunt. Et licet uerus conseruandi modus sit per arma propria, militesq; proprios, attamen operæ precium fuerit, de uno quoq; hoꝝ differere, ut intelligatur qs modus sit utilissimus.

An bonum sit a subditis qui prius in armis Illustres erant arma auferre. Cap. XIII.

FLorentini credentes Pisas sua in potestate posse facile cōseruare, Pisanis arma penitus absstulerunt. Alii in Regni principio cum subditos inermes comperissent, eos armis munierūt, credētes eos, qui a principio hostes erant, tempore

procedente amicos, ac proprios milites fieri, & per hunc modum Regnum amicis abundans fieri arbitrabãtur, nam si qui a principio ſuſpecti erant, amici fiunt, & qui amici, in amicitia conſeruantur, Regnum amicorum copiis abũdare uidebitur. Hinc magna diſceptatio uertitur, an arma auferenda, uel addẽda ſubditis ſint. Et dicendum (ut mihi uidetur) principatũ acquiſitum uel eſſe omnino nouum: ut Mediolanenſium principatus Franciſco Sfortie omnino nouus fuit. Aut nõ nouum ſed alteri antiquo, ut membrum alligatum, ueluti idem Mediolanenſium principatus a Ludouico Francorum Rege Gallis adiunctus. Et Bethicæ (quam Granatam uocant) Regnum a Ferdinando Catholico Hiſpaniarum Rege auo tuo Hiſpanię annexum fuit. Siquidem principatus omnino nouus eſt, minus malum eſt, eos, qui a Regni principio hoſtes erant, Armis munire, qui uero amici, in eorum armis ipſos ſeruare. Si enim ab hoſtibus arma auferes, te eos ſuſpectos habere oſtendes, & ſic maius in te odium cõcitabis. Sin uero ab amicis, eos inimicos reddes, omnibus autem factis inimicis, opus erit mercẽnariis, uel auxiliaribus militibus, quorũ qualitas q̃ friuola & periculoſa ſit, pauloante declarauimus. At ſi nouus ſit, ſed antiquo annexus, tunc Reges, qui imperitant, aut tyrannice, aut iuſte dominantur. Si tyrãnice, ab his arma mox auferenda ſunt, qui a Regni principio hoſtes fuerũt. Ab amicis uero nõ illico, ſed tempore procedẽte, utile eſt eos imbelles reddere, atq; exutos armis molliores efficere (non. n. aduerſari poterunt) & arma propriis militibus relinquẽda, quibus regnum nouum antiquo annexum eſt. In his enim ſtandum, atq; confidendum. Si uero iuſte imperauerint, quia ſtudendum eſt, ut omnes tam qui a Principio hoſtes, q̃ ſuſpectos, beneuolos ſibi faciat, arma auferenda non ſunt, ſed beneficiorum collatione & honoribus ex infenſis amici reddendi ſunt.

An Factionibus Principatus conſeruari poſſit. Cap. XIIII.

DEinde ſi factionibus Principatus ſeruari poſſit diſſerẽdum eſt. Florentini Piſtorium, factionibus conſeruare crediderunt. Veneti quoq; hunc in modum multas p̃claras urbes ſub ſua dictione diu tenuerunt. In illis tñ ſanguinis effuſionem non permittebant. Concedebant itaq; diuiſiones, ciuiles factiones, ut ciues in ſuis ſimultatibus occupati, in dominos conſpirare nõ poſſent. Hic modus (ut mihi uidet) dum externorum hoſtium metus non eſt, poteſt concedi, at ſi potens aliquis Rex, aut Princeps uicinus hoſtis immineat, hic modus friuolus, & periculoſus habendus eſt. Primo q̃ principis eius, qui regnat imbecillitatem, atq; impotentiam factiones notent. Deinde quia ſi pacis tempore nõ nihil fructus afferãt, tempore belli mirum in modum officiunt, quippe cum ſemp altera factionis pars aduerſus priorem principem arma libẽter aſſumat. Huius rei exẽplum nobis affert Genua quæ ob factiones, ab omni (ut ſic dixerim) leuiſſima potentia ſuperatur.

An fouendi, uel delendi Inimici ſint. Cap. XV.

SEd quoniam pro Regni conſeruatione, nõnulli penitus hoſtes peſſundederunt. Alii uero fouerunt. Hinc exorta eſt quæſtio, quid de inimicis agendum ſit. Et licet eo libello, quem de inimicis ſcripſimus, multa de re hac diſſeruimus, tamen quantum propoſito noſtro conuenit, dicamus principes tunc magnos putari, cum difficultates uincunt, & quo maiores ſuperant, eo maiores exiſtimari, non ergo delendi inimici ſunt, ſed permittendi, modo exuperentur. Ex uictoria enim tantam principes uidentur gloriam conſequi, ut ab omnibus inter Illuſtres collocari dignum ſit. Appius Claudius dictitare ſolebat negocium populo Romano magis conuenire, q̃ otiũ cuius rei rationem Valerius affert, non q̃ ignoraret pacem & otium hominibus eſſe iucundum, ſed q̃ ſummis imperiis otiũ eſſet pernitioſum, ex otio nãq; opes, ex opibus luxus, ex luxu auaritia, uoluptatis libidines, & reliqua turpia proueniunt, per quæ declarauit inimicos, ubi non fuerint, eſſe reperiendos. Tũ ut exuperentur, tum etiam ut otium euitetur, quod uiro militari pernitioſum eſſe, Valerius putat. Dionyſius Syracuſanus, & inimicos fingebat, & eos exuperare enitebatur, ut ex uictoria eorum ab omnibus fortis cenſeretur. Hac fictione præcipue noui tyranni, aut principes indigent. Cum enim hereditarii non ſint, ut poſſint nõ nihil gloriæ a ſubditis reportare, in has inimicorum fictiones dilabũtur, hinc prouerbium. Quem fortuna dilexit, aduerſus eum ſuperabilem hoſtem concitat, eo enim deuicto mox amplitudinem uincentis patefecit.

An, qui a regni principio hostes erãt, beneficioꝝ collatiõe amici faciẽdi, an priores amici solũ cõseruãdi. Cap. XVI.

DE inimicis etiam magna exoritur quæstio. Nam noui principes nonnulli beneficiorum collatione, qui a principio regni hostes erant, ad amicitiam reducere enituntur: amicos uero in amicitia cõseruare. ut Cæsar feciſſe legitur: & quidem non ab ratione, ne ad mercennarios, aut auxiliares confugere milites compelleretur. Nonnulli uero magis his cõfidunt, qui a regni principio inimici erant q̃ his, q amici: qꝫ in illis plerũqꝫ maiorem fidẽ inuenerint. Pandulphus Petrutius Senenſis potius fauore eorum diu imperitauit, qui a regni principio ſuſpecti fuerunt, q̃ eorum qui nõ ſuſpecti erant, & in eis maiorem fidem ſemper adinuenit. Nec hoc præter rationem eſt. Nam qui a principio ſuſpecti habebantur, nulla alia ratione ſe conſeruare poterunt, niſi quatenus principi placere ſtudent. nec a principe aliud deſyderant, niſi ne ab his deſtrui permittat, qui a principio regni amici fuerunt. Quare cum hoc ſolo princeps eos ad amicitiam reconciliare poſſit, facile eos ad ſui bonum conſeruabit. Amici autem non id ſolum cupiunt, ſed propter officia, quæ in principem contulerunt, ea appetunt, quæ aliquando ſupra principis uires ſunt. Vnde fit ut non facile eos in amicitia conſeruare poſſit. Princeps igitur, qui principatum nouum aggreditur, quemqꝫ uiribus ſeruare ſtudet, eos inſpectare debet, per quos ad principatum uenit: & quam ob cauſam ipſius fauto res fuerunt. Si enim illius rei cauſa non naturalis affectio fuerit, ſed qꝫ ſub priore principe non bene ſubdebantur, perdifficile profecto erit eos in amicitia diu conſeruare. Non enim eis eo uſqꝫ placere poterit, ut pro eorum cupiditatibus omnino ſatisfaciat. Eos uero qui a regni principio inimici erant, paucis (ut dictum eſt) reducere ad ſe poterit. Eos deniqꝫ, qui neutri fuerant, longe pauciores. Q̃d ſi omnes & ſuſpectos & amicos, & eos, qui neutri fuerunt, in ſua amicitia facile conſeruare ſit, longe melius ac tutius erit, q̃ ut ad auxiliares uel mercennarios milites compellatur. In quorum manibus neqꝫ bonum, neqꝫ tutum eſt regnum. Hunc modum ſeruauit Arãtus Sicyonius, qui (ut Cicero narrat) & ſuſpectos, & inimicos, & amicos omnes in unum reduxit, ut tyrannum necaret. Alfonſus uero Iberiæ Rex cum interempto Petro fratre legitimo Rege, amicos ſeruaſſet, ſuſpectoſqꝫ reconciliaſſet, prudẽter fecit, at cum eos qui neutri fuerint, deleuiſſet, non bene cõſuluit, cum enim Regnum illud nullis, niſi Regni uiribus cõſeruare poſſet, & prudentia, & beneficiorum crebra collatione ad unum reducere debuerat omnes, ne in mercennariorum, ac auxiliariorum militum neceſſitatem compelleretur, hunc modum, dum Cæſar apud Romanos ſeruauit tuto imperitauit, poſtq̃ uero Regia quẽdam ac pene tyrannica edere cœpit facinora coniuratum eſt in eum.

Vtrum Arx conſtruenda an deſtruenda ſit. Cap. XVII.

DE Arcibus ſemper dubitatum eſt, an conſtruendæ ne, an deſtruendæ ſint a Regibus. Conſueuerũt. n. Principes arces: & quidem aggreſſu difficiles in editiſſimis urbium locis condere, cõditaſqꝫ cuſtodire muroſqꝫ, ac propugnacula munitiſſima conficere. Primo quidem ut per ipſas arces ſubditorum impetum aliquando facile propulſare poſſint. Deinde ut maiore freno ipſos comprimant, ac detineant. Demum ut contra repentinos hoſtium incurſus tantiſper ſe cõſeruare poſſint, donec fortuna res eorum in melius uertat. Roma enim licet a Gallis & capta, & incenſa, Capitolinæ tamen arcis præſidio, tãdiu ex parte ſeruata fuit, q̃diu auro pacem redimeret. Alii militiæ non ignari arces omnes euerterunt, ut noſtra ætate Guido Vbaldus Vrbini Princeps. Hic enim ab exilio rediens omnes ſui principatus arces demolitus eſt. Nicolaus quoqꝫ uitellus in ſua ciuitate duas arces funditus euertit. Bentiuoli cum Bononiam rediiſſent, omnes arces diruerunt. Arbitrantes Regna facilius defendi poſſe arcibus dirutis, q̃ conſtructis. Ariſtoteles uero inutilem, periculoſamqꝫ arcem eſſe in optima republica, præbereqꝫ eam tyranni diſoportunitatem aſſerit. Vnde Pedianus arcem definiens dixit arcem eſſe tyranni ſedem. Timoleon Corinthiorum imperator docuit Vrbem, quę arcis præſidio teneretur, uix unq̃ ſine tyrannide eſſe poſſe. Quare multorum opinio eſt arcem in libera ciuitate atqꝫ in regno, cui Rex & non tyrannus præeſt, inutilem eſſe. In ſubiecta autem Vrbe, aut ſubacto Regno neceſſariam. Ego uero nec in libero, nec in ſubiecto

Regno, arces utiles aut necessarias esse arbitror, nam si interdum casu, aut fortuna, aut pro temporum ratione principi utiles fuerint, plerunq; obfuisse legimus. Tyranno quidem non prosunt ad populos compescendos. Populi enim semp opportunitatem expectabunt, ut puta cum externus hostis inuasurus est, tunc enim arces nec timebunt, nec arma capere cõtra tyrannum uerebuntur, Regi uero minime. Regis enim Arx munitissima est, ut a suis subditis ametur. Huic enim nouus Princeps magisq; construendæ arci studium impẽdat. In hoc fundamenta iaciat, huc accedat, nec rursus Principi ꝑderit q propriis armis nouum Regnum suo antiquo cõnectit. Siquidem ut Fabius Maximus dictitabat. Munitissima huiusmodi Regni arx est, propria ac antiqua eius militia. Præterea aduersus externos hostes, qui pollẽtiores fuerint, parum, aut nihil fructus afferunt, quinimo lędere magis uidentur. Si enim externus hostis potentior fuerit, Arx siquid confert, id omne in potentioris utilitatem post uictoriam redũdabit. Sin uero minus fortis, arx domino non necessaria erit, huius rei exemplo nobis est Franciscus Sfortia, hic enim in sui Regni principio Mediolanensem arcem extruxit, uerum successoribus plurimum obfuit, qui propriis in militibus uim eorum non collocarunt. Vnde Pyrrhus Athenienses monuit, ut in posterum nulli Regum potestatem facerent amplius arcem ingrediendi, ne oportunitatem præsidii nactus quispiam inuaderet, gratum consilium fuit Athenien sibus, ut qui aliquando cognoscerent periculosum esse fortibus uiris aditum præbere. Temporibus uero nostris arces nulli fere ꝑdesse uidemus, nisi Foroliuianæ Principi, quæ uiro suo Hieronymo defuncto in arce Foroliuiana ab impetu populari tãdiu se seruauit q̃diu auxilia a finitimis ad eam confluxerant. Verum postea Cæsare Borgia Foroliuium inuadẽte, arces ipsi mirum in modum nocuerũt. Cõcludamus igr̃ arces aliqñ utiles, plerũq; dãnosas nouis Principibus eẽ, nouis. n. principibus q populare odiũ cõtẽnunt, arces tãdem damnosas esse obseruauimus, populorum uero beniuolentiam aliquando ipsis profuisse. Princeps autẽ qui nouum Regnum suo antiquiori propriis armis cõnectit, hæc omnia paruifacere poterit, eius. n. potentia non in subditis (quos acquisiuit) non in arcibus quæ pro defensione cõstruuntur, consistere uidetur. Sed in propriis militibus, ac copiis, quibus Regnum est adeptus hũc modum. Magnus Turcarum Imperator seruat qui omnibus per omnia sua Regna arcibus deletis, uim suam omnem in propriis copiis reposuit, unde hoc ab eo aduersus nostros mores dictum ferunt. Muri timidos tutantur & arces. In Alexandri magni gestis arces ab eo potius dirutas q̃ erectas esse legimus, quod etiam Darius ante ipsum seruauit, igitur iis discussis, ac diligenter examinatis perspicuum est eum, qui propriis armis Regnum nouum suo antiquiori ac priori connectit, hæc omnia debere pilifacere, sed in ipsa iustitia atq; æqualitate solum confidere. Alexander autem, qui Darii Regnum adeptus est, omnes suspectos, qui Illustriores erãt deleuit. Cæteros iustitia æquauit. Post cuius mortem successoribus subditi fidem seruarunt, Turcarum Imperator cum græciam propriis caperet, omnes Illustriores eliminauit. Cæteros uero optima iustitia in unũ reduxit, Sicq; usq; ad nostra tempora seruat. Fortasse enim nouis & antiquis Principibus (ut mihi uidetur) tutius esset dominari (Si modo in ipsis eorum Regnis, qui uulgo barões dicũtur) aut nulli, aut pauciores essent. Nam cæteros ad unum conseruare facile est, ut puta si iustitia, atq; beneficio; collatõe eos æquabit.

De locis custodiendis considerationes. Cap. XVIII.

CVm autem arces, atq; loca quæ aggressu difficilia sunt usu uenerit, ut custodiantur, custodiendi rationes prę ponendæ sunt, quæ (ut Aristoteles inquit in Rhetoricoꝝ libris) sunt præcipue duæ, Altera ex parte custodum. Altera ex parte locorum. Nam custodes scire oportet, quot numero esse debeant, & quales, an proprii, an mercẽnarii, uel auxiliares, si experti, si fortes. Loca autem quæ & qualia sint, ut sciamus, ubi præsidia collocanda sint, & qualia, ut si non sufficerint, augeantur, sin autem, superflua sint, omnino tollãtur, & ex eis loca magis oportuna custodiantur.

AVGVSTINI NIPHI MEDICAE
De Regnandi Peritia Liber Tertius.

PROOEMIVM

SVperiori libro de armis, quibus regna ab hostium inuasione defendi debeant, satis (ut arbitror) dictum est. nūc de modis, atq; legibus, quibus reges & tyranni populares rebelliones euitarunt, quibusue a popularibus insultibus regna præseruarunt, differendum uidetur.

Quibus legibus hæreditarii principes ac electi regna a rebellionibus, atq; popularibus īsultibus seruarūt. Cap. I.

NAturalis igitur princeps, qui hæreditaria successione imperitat, facile ab insultibus atq; rebellionibus regnū præseruare poterit, modo nefandas iniurias subditis non intulerit, nec nouis legibus, quibus insueti sunt, coartauerit. Assueti enim regum generi, atq; maiorum legibus, raro a suo principe deficere cogitant. Accedit ad hæc q; facile ab externis hostibus regnum defendere poterit, si rex hæc in subditis seruauerit. Et si fugaretur, mox expectatus atq; accersitus perfacile regnum, quod amiserat, recuperare solet. & quidem maiore a subditis beniuolentia exceptus, q̄ prius habebatur. Huius rei exemplum Hercules affert Ferrariensis princeps. Hic enim ab illa acerrima Venetorum inuasione, quæ . M . CCCC . LXXXIIII . facta est, regnum suum non seruasset, nisi quia naturalis princeps erat, & subditos suos nec nouis iniuriis affecerat, nec nouis legibus onerauerat. Hac quoq; ratione principatum suum Alfonsus eius filius liberauit ab eo periculosissimo bello, quod Iulius. II. Pontifex Maximus aduersus ipsum anno . M . D . X . parauit. Ferdinandus . II. Iunior, quem a Neapolitano regno Galli fugarunt, paucis atq; inermibus copiis solo populorum desyderio & acclamatu his de causis perfacile regnum recuperauit. Simili modo principes, qui electione fiunt, regna facile præseruabunt, si nouis iniuriis populos non affecerint, nec leges quibus uixerunt, nouauerint. Propter hæc Romani Imperatore

ratores periere, ut Cæsar primus dictator, qui cum populum nouis legibus ac iniuriis præmeret, a Romanis interimitur: Simili ratione & alii plurimi ut Nero, Tyberius, & cæteri id genus.

De modis, quibus noui principatus conseruantur, quādo alicui antiquo sunt connexi, & propriis alicuius regis armis acquisiti. Cap. II.

DIximus principatum nouum esse, aut quia omnino nouus est, aut qui, ut membrum alicui antiquiori ab aliquo rege propriis uiribus connectitur. Nunc de modis atq; legibus quibus ipsum regnum nouum alteri antiquiori connexum seruetur, Et quidem si propriis alicuius regis armis acquisitum esset, dicamus. Est enim difficultas non parua. Siquidē propter bella, oppressiones, & qui a principio amici, & qui a principio inimici erant, omnes aduersus nouū regem quodam modo conspirant. Qui a principio quidem amici, q̄ ea beneficia a rege non receperint, quibus propter seruitia & obsequia se se dignos arbitrantur. Qui uero a principio inimici, propter innumeras oppressiones atq; iniurias, quibus ipsi in bello afficiebātur. Huius rei exemplum nobis affert Ludouicus Gallorum Rex, qui cū leui admodum manu Mediolanensem principatum occupasset, leuiori illico amiserat, & quidem nullam aliam ob causam nisi q̄ populi omnes eius acerrimi hostes euaserunt. Et nisi Heluetiorum proditione Ludouicus Sforcia captus fuisset, haud facile principatum recuperare potuisset. Pro remediis igitur quibus noui principes noua regna conseruarunt, primo assumamus q̄ cum noua regna antiquioribus suis coniunxerint, ea aut sunt cum antiquioribus regnis moribus & genere & idiomate conuenientia, facile illa seruari posse historici dixerunt. præsertim si populi antea semper regibus parere soliti sunt. Duobus enim modis tantum regnum seruandum esse asserunt, & rege, & omnis ipsius regia prosapia penitus extincta, & seruatis iis legibus, iis constitutionibus, eo ordine, atq; his honoribus, quibus uiuere sub priori rege consueuerunt. Cæsar nobis exemplo est, qui dum honores, qui ad populum antea referebantur, retulit, & senatui ad se uenienti assur-

rexerit, nec leges, quibus Romani uiuere consueuerint, mutauit, secure imperitauit. Quũ uero & honores ex sua uoluntate præstaret, qui ad populum antea referebantur, & senatui ad se uenienti non assurgeret, aliaq; populo insueta faceret, coniurationem in se passus est. Quas res quum & Gallorum Reges in Borgundia, Britannia, Vasconia, atq; Normandia seruassent, eas diu facile tenuerunt. Nam licet idiomatum differentia aliqua sit, mores tamen fere similes ac idem sunt. At si noua regna alteri connectantur, quod genere, idiomate, ac moribus ab illis differat, Reges non facile ea seruare poterũt, quæ parua manu acquisierunt. Vt de regno Neapolitano, ac Mediolanensi ducatu perspicuum est. Nonnulli pro eorum custodia milites proprios ordinarũt. Quod licet usitatum sit, & a quamplurimis obseruatum, tamen & ipsis & subditis damnosissimum est. Nam propter nefanda scelera atq; iniurias quibus milites uniuersos subditos afficiunt, non modo ad clandestinas proditiones, uerum etiam ad publicas rebelliones compelluntur. Veluti exemplo nobis nunc sunt Mediolanenses, qui iniuriis lacessiti a Francisci Regis Gallorum militibus, perlibenter contra eum insultauerunt (ac Prospero Colunna Duce prudentissimo) arma pene cuncti unanimes sumpserunt. Hæc ergo remedia afferuntur ab historicis, ut Rex ipse nouum regnum colat, atq; in habitet. Sic enim tute imperitabit, nec aliquis subditorum rebellionem aut proditionem facere audebit. Præterea benefitia, quæ ex Regis præsentia subditi reportabunt, compellent eos in Regem non mali quicquam machinari, sed diligere, atq; uereri. Habent enim ante oculos præsens id, quod & ament & uereantur. Obseruauit modum hunc magnus Turcarum Rex, qui fugato a Græcia Imperatore, mox suam sedem in Constantinopolitana urbe collocauit, ut ob suam præsentiam Græci nunquam conspirare audeant. Secundum uero remedium, licet tyrannicum sit, est ad nouum regnum colonias mittere, ad quas eorum subditorum bona conferantur, qui Regi suspecti sunt. Suspectos uero aut ad tutiora sui prioris regni loca transferre, aut ipsos uiribus expoliatos relinquere: quod Veneti in Cypro insula effecerunt. Nam licet Rex ipsos suspectos perseueranter in sui odium, atq; maliuolentiam trahat, a diumentum tamen, quod ex coloniis colligitur, maius (ut dicunt) eo est nocumento, quod ipsorum incolarum odio sequi uidetur. Offendit enim eos Rex, quos bonis expoliat, quorum odium atq; liuorem non timet. Faueat autem coloniis, quarum fauorem, cum magnus sit, complecti debet. Aliud autem remedium, quod rursus afferunt, & quidem pollentissimum est, ut Rex ea in regione externum nullum, aut conterraneum potentem, aut æqualem, aut potentiorem regnare permittat. Vbi enim solus imperitabit, collegam, ubi præcipuus erat, suæ gloriæ æmulum habebit, qui semper ipsius euersionem atq; maleficium machinabitur. Præterea si externum æqualem, aut potentiorem ea in regione regnare patietur, conterranei omnes, qui minus potentes sunt, mox cum externo illo cõiurabunt, partiq; eius omnino fauebunt, quousque de suo principatu securi fuerint: ipse uero in maximo periculo. Sic enim pendente causa, neutrum re uera timebunt. Exemplo sunt nobis Romani Principes, qui ad externas regiones genere, idiomate, atq; moribus differentes, quas propriis armis occupabant, & illuc colonias interdum deducebant, & potentes aliquando uiribus expoliabant, & nullum externorum, qui potuisset eis officere, regnare patiebantur. Vnde in Græcia Achæos, atq; Aetholos, Macedonum uero regnum pro magna sui parte imminuerunt: Antiochum fugauerunt, ut soli cardines uniuersæ regionis atq; iudices haberentur.

Quomodo Ludouicus Gallorum Rex in possidendo Italico principatu multifariam errauit. Cap. III.

HINC Ludouici Gallorum Regis errata notantur: Nam quum Mediolanensium principatum ui recuperasset, cæteros Italiæ principes a Cæsare Borgia deleri permittere non debebat, nec eadem in regione, ubi ipse externus erat, unius potentiam augeri. nec rursus pati, ut externus alter sibi æqualis, aut potentior eandem in regionem pedem inferret. Non enim ferendum

erat,ut Ferdinandus Catholicus (ubi ipse solus arbiter erat) quicquam possideret,Sed Federicum Regem tributarium potius,& ad sui nutum obnoxium,atq; obediẽtem habere. Erat enim Regale magis Reges,aut facere, aut conseruare, q̃ Regnandi cupiditate suæ gloriæ æmulum permittere. Præterea eo magis errare uisus est,q; postquam passus fuerat Ferdinandum Catholicum Regem esse sibi Regni socium,cum eo manus conferre non debuerat. Eleganter enim Aristophanes monuit leonem in urbe nutriendum non esse, sed ubi nutritus sit,ei obsequendum. Debuit etiam hac in noua regione, ubi ipse externus erat,aliquot etiam annis inhabitare, beneficiorum collatione ciues omnes reconciliare, ueluti Magnus Alexander fecit,cum Regnis Darii potitus esset,etiam populorum moribus afflari,ne morum differentia dissidium pareret, aut saltem colonias deducere,ut Romani facere consueuerũt, Potissimum autem (ut arbitror) errauit,q; Venetos deleri aut diminui passus sit,tolerabilius enim id fuisset,si eadẽ in regione æqualem sibi regnare non permisisset. Quod autem iis & tot erroribus lapsus sit,testis est nobis finis, semper enim finis principio attestatur,& omnium rerum finis (ut Solon dictitabat) testis est.

Cur Darii Regnum,Quod Alexander occupauerat, a successoribus ipsius, post Alexandri obitum non defecit. Cap. IIII.

QVoniam in occupandis ui armorum Regnis non paruæ populis difficultates contingere solent, ut nefanda scelera,oppressiones,aut improbę iniurię, admirabitur propter hæc quispiam'. Cur cum Alexander in Asia Darii Regnum uix iam occupasset, post eius obitum, a successoribus suis non defecerit. Videtur enim iure deficere debuisse,tum quia eo uix occupato immature obiit', Tum uel maxime propter difficultates atq; iniurias, quibus in occupando populos affecit. Legimus autem nullum in populis post Alexandri mortem exortum esse dissidium, præter id,quo successores ob proprias ambitiones dissiderunt. Verum siquis principatum differentias animaduertit,poterit huius rei causam afferre. Est enim regnum alterum, quod nobiles (quos Barones dicunt) nullatenus admittit,nisi quosdam sub magistratuum prætextu, quos per tempora mutant, atq; deponunt: quale fuit Persarum regnum: & nunc est Turcarum. Alterum quod sub eodem Rege nobiles & quidem sanguine atq; prosapia illustres habet, ut Gallorum, atq; Hispaniarum,& nostrum Neapolitanum regnum. Hæc enim nobiles habent, qui licet sub uno Rege contineantur, subditos tamen & ipsi possident,quibus propriis legibus atq; constitutionibus imperitant: e quibus quum iusti atq; honesti sunt, non minus quam Rex amantur, atq; honorantur. Primum regnum ab historicis Seruile, Secundum uero Dominicum uocari consueuit. Illud quidem Seruile,q; subditi seruorum more subdantur,nulliscq; dominentur, nec aliud quicquam nisi bene gubernari appetant. Hoc uero Dominicum, qui subditi legibus quibusdam Regi obediant, ipsi uero aliis dominentur. Hinc eius,quod quærebatur,facile causa reddi potest. Nam Seruile Regnum, quale Persarum diximus esse, obtineri difficillimum atq; maxime arduum est. Siquidem ab eius Rege propriis atq; peculiaribus armis defenditur. Collisis uero militibus, qui Regi proprii atque familiares erant,facile possidetur, potissimum prioris Regis linea extincta. Hæc enim duo pro illius Regni secura possessione satis sunt. Subditi enim cum nulli alteri nisi prioris Regis generi credant,fit ut illo penitus abolito,quum nesciant nisi seruire, nulli alteri Regi nisi nouo obedire uelint. Dominicum uero contra obtineri enim facile atq; perleue est. Causa autem,quoniam non omnes nobiles Regi pariter acquiescunt,atq; obediunt. Sed alii semper ut suspecti,alii ut læsi conquæruntur. His ergo externo Regi fauorem præstantibus, facile regnum a proprio Rege deficit,atq; amittitur. Id autem quod arduum uidetur,est ipsum conseruare. Non enim tuto seruari poterit, nisi his illustribus abolitis, qui prioris Regis parti addicti erant. hoc autem tum non leue,tum crudele est,atq; tyrannicum. Quare Seruile regnum obtineri difficile est, seruari facile. Contra Dominicum, obtineri facile, seruari admodum difficile. Siquis enim Turcarum Regem in bello exuperauerit,tuto eius regnum possidebit,modo eius genus penitus.

deleuerit. At si Gallorum regnum, uel Hispanorum non tuto possidere uidebitur, nisi & Regis linea & omnibus, qui suspecti erant, & eorum lineis omnino abolitis. Hinc in Hispania, atq; Gallia non raro rebelliones uisuntur. Adsunt enim in eis domini & quidem genere & dominatione illustres, qui non omnes pariter Regi beniuoli sunt. In Asia autem, ubi Turcarum Rex imperitat, nunquam. Non enim ibi adsunt, nisi qui aut natura, aut more seruiunt. Hac etiam ratione Hispanorum, atq; Gallorum possessio Romanis semper interta, atq; anceps fuit, & non nisi eorum omnium, qui dominari consueuerunt, penitus abolitis, quieta. Patet igitur ex hisce quãobrem post Alexandri mortem nulla in subditis facta sit rebellio, curq; regnum nullatenus ab eius successoribus defecerit.

Quomodo Principatus, qui propriis legibus, & quidem sub libertate uiuere diu cõsueuit, si ab externo, aut nouo principe occuparetur, seruandus esset. Cap. V.

PYrrhus Epirotarum Rex urbes, quas in Græcia obtinuit, non facile seruauit. Alexander uero in Asia Darii regnum ob assignatas causas facile admodum possedit. Hinc exorta est quæstio non facilis, quo nam modo principatus, qui propriis legibus sub propria libertate uiuere consueuit, seruandus sit. Romani huiusmodi principatus aliqua ex parte imminuerunt, ut ferociores & rebelles deponendo, atq; omnes, qui roboris quicquam haberent, infirmando. Hunc in modum Græciam possederunt, ubi multas præclaras urbes, multos illustres uiros, qui hostili erant animo, confregerunt. Procedente uero tempore cæteris, qui remanserunt, iustitiam seruando, beneficiorum collatione paulatim eorum animos molliendo, atq; afficiendo: pristinæ libertatis tandem obliti eos diligere atq; uenerari cœperunt. Sicq; multas Græciæ regiones tranquille possederunt. Alter modus & quidem potissimus est, quem superius diximus, ut Rex eas colat atq; inhabitet. Non enim in eius præsentia deficere audebunt. Beneficiis etiam, quæ ex eius præsentia reportant, eorum animus mollescit. Assueti uero sic uiuere diu, nihil aliud tandem nisi parere cogitabunt. Tertius uero modus, qui etiam superius tactus est, satis (ut mihi uidetur) conueniens est, ut suis legibus uiuere permittantur. Fructus autem sit tributum & obedientia. Tributum quidem, quod uariis annorum numeris Romani ex populis percipere consueuerunt. Obedientia uero quatenus eorum respub. aut status populares ad paucorum potentiam reducebant, ex ciuibus magistratus, qui decuriones dicebantur, creando. Illi enim a Romano populo ad nouum statum instituti, ut sein ditione seruarent, semper Romanis, e quibus eorum potentia pendebat, obedire enitebantur. Subditi etiam eorum quo sibi met parere diu consueuerunt, perlibenter suis ciuibus subiicientur. Est enim hoc, quia diu consuetum quodam modo ipsis naturale. Verum hic tertius modus aliquando non profuit. Spartani. n. Thebas, & Athenas paucorum status in eis instituentes, licet diu tenuerint eas, tamen tandem amiserunt. Primus tutior modus est, licet crudelior, ac truculentior. Romani enim ut Capuam, & Carthaginem totiens rebelles tuto possiderent, earum principes aut substulerunt, aut imminuerunt uiribus: Numantiam uero funditus sustulerunt. Propter hæc igitur tyranni, & qui apud eos prudentiores habentur, asserunt in possidendis urbibus quæ sub propria libertate propriis legibus uiuere consueuerunt, nullum esse magis præsens remedium q̃ illarum a principio destructionem, ac depopulationẽ, quarum paulatim increscente multitudine sub iugo uiuere assueta, & minus feroces, & fideliores fieri. Si enim illesi dimitterentur, prioris libertatis atq; antiquarum legum nunquam obliti, ex quauis leui causa, quæ interea contingere potest, omnes illico ad rebellionem commouerentur. Huic exemplum afferunt Pisani, qui cum per centum annos Florentinis subderentur, leuem occasionem nacti, nondum prioris libertatis obliti, a Florentinis defecernnt. Verum hæc & tyrannica, & impia sunt.

Quomodo noui omnino principatus, qui uirtute acquiruntur, seruari possint. Cap. VI.

SVNT etiam noui omnino Principatus, qui nonnunquam propriis armis, interdum penitus sine armis per

uirtutem acquiruntur, non tamen in principio sine aspirante fortuna. A fortuna enim occasione comparata, per uirtutem nonnulli Regnis potiti sunt, uerum uirtus sine occasione illud agere nõ poterit. Oportebat enim si Romulus Romanorum Rex, ob uirtutem euasurus erat, acillius urbis fundator, ut in Alba e Regia stirpe oriretur, atq; in Romano agro expositus esset. Præterea Cyro qui Medorum imperio ob suam excellentiam potiturus erat, opus fuit in Medos molles, atq; effœminatos incidere ob diuturna pacis tempora, & ipsos suo Regi non concordes propter nefanda scelera eorum, qui prius regnauerant. Insuper & Theseo qui Athenienſibus uirtutem suam ostensurus erat, necessarium erat eos dispersos, atq; dissectos reperire. Non ergo uirtus sine occasione sufficiens erat, minime etiam occasio sine uirtute, nam licet occasio ad Regni fœlicitatem disponat, prudentia tamen operatur, ut occasionis tempus cognoscatur. Vnde Trogus prudentis esse asserit cum fortuna pulsauerit, hostium aperire, & oportunitates, quas ipsa afferat cognoscere, cognitasq; arripere, & arreptas tandem prudenter ad finem deducere, nam in uita perraræ sunt, & cum abierint non amplius redeunt. Siquis enim eas occasiones, quæ a fortuna sunt, non cognoscit, nec ad finem deducit, rarenter attollitur, uitamq; propter segnitiem, atq; ignauiam, ut belua finit. Sed utcunq; sit, qui per uirtutem nouis omnino Regnis potiri enituntur, principium durum habent, propter nouos ordines, atq; leges, quibus Regnum instituunt. Nihil enim attentatu difficilius, nihil factu magis ambiguum, nihilq; ordinatu periculosius est, q̃ ordines, ritus, leges promulgare populis, quibus illi uiuere nunquam assueti erant. Qui enim leges nouat, eos hostes habet, quibus priscæ utiles erant, eos uero quibus nouæ leges utiles essent, amicos certos non habent, tum quia aduersarios pertimescunt, pro quibus ueteres leges faciunt, tum quia nouis non plene credunt, non enim (nisi experientia muniantur) eis omnino acquiescent. uerum ubi sceptro potiti sunt, beneq; rexerint, sine difficultate regna propter uirtutis lucem possident, ac seruant. Difficultatem uero, quæ circa initia est, facillime superãt, si propriis armis Regna cœperint. Sic enim leges nouas ferre, ritus aliter disponere, ordines sua uirtute instituere, sine metu, atq; periculo poterunt. Nec enim Cyrus, nec Theseus populos ad constitutiones suas seruãdas compellere potuissent, nisi propriis armis, & quidem ualidissimis, munitifuissent. Sed si inermes sint, non nisi uirtutis excellentia omnibus perspicua, principii difficultatem uincere poterunt. Hiero Syracusanus huius rei nobis exemplo est, qui materno genere sordidus, nam ex Hieroclyto nobili ex ancilla susceptus, ob uirtutes a Syracusanis Rex creatus, nec aliud a fortuna nactus, nisi occasionem, cum enim Syracusani oppressi essent, eum exercitus ducem delegerunt. Erat enim cõsilio cautus, manu quo q; promptus. Deniq; aduersus hostes sæpe pugnans, semper uictoriam reportauerat, a Pyrrho Rege multis militaribus donis honestatus est, pulchritudo corporis insignis, uires quoq; in homine admirabiles fuere, in sermone blandus, in negotio iustus, in imperio moderatus, prorsus ut nihil ei Regium præter Regnum deesse uideretur. Harum igitur uirtutum splendore ex priuata admodum fortuna a Syracusanis tãdem Rex eligitur. Processit autem hoc pacto, exercitus Dux creatus, omnes milites, qui reipub. erant, sibi proprios, ac familiares effecit Hos quidem largitionibus, illos beneficiis, suspectos etiam deponendo, amicos euehendo, unde paulatim effectum est, ut qui prius reipub, studebant, eius tantum modo cõmodis operam darẽt. Ciues item, quos suspectos habebat, beneficiorum collationibus omnes sibi deuinxit, quibus effectis ciuitatem ad contionem conuocauit, quibus proposuit ut Regem se facerent, asserens id non dominandi, sed eos bene gubernandi causa appetere, cum ob factiones praue omnino regerentur. Ciues itaq; partim militum metu, partim beneficiorum collatione deliniti eum Regem crearunt. Sic igitur cum circa initia suarum uirtutum luce, quæ non sine fortunæ occasione fuit, omnem nodum, moramq; superasset, in possidendo Regno, nullam prorsus difficultatem passus est.

Quomodo noui Principatus, qui fortuna acquiruntur conseruentur. Cap. VII.

QVi uero fortuna solum fauente ex priuatis Reges euadunt, facile quidem tolluntur, repente uero ruunt. Nam ludens fortuna aliquibus plerunq; initium facile, finem uero per difficilem facit, euenit autem hoc iis plerunq;, qui gratis, aut præcio, aut fauore, principatum accipiunt, ueluti in Græcia a Romanis ducibus in Ionia, atq; Hellesponto nonnulli ciues Principatum acceperunt, Romæ etiam uiri humiles, & priuati a militum turba nonnunquam corruptione, atq; fauore imperatores creati sunt, postmodum breui tempore sublati, nec ab ratione quidem, nam cum priuate uixerint, bene regere nec possunt, nec sciunt. Nihil enim difficilius (ut Diocletianus dicere solebat) q̃ bene imperare, nec minor (ut Ouidius) uirtus est parta tueri q̃ noua comparare casus inest illic. Hic erit artis opus, difficultatem uero auget, quia hi, qui eos crearunt, fideles plerunq; non habent. Præterea in naturæ operibus cernimus, ut quæ celeriter crescunt, celeriter pereant. Vnde & prouerbium est nimium festinata non esse diuturna. His igitur, qui fortuna fauente ad imperium aduolant, ut se seruẽt, hoc unum remedium est (ut uirtutem fortunæ sociam quo ad possunt) adhibeant. Sic enim agendo, difficultates, quæ postea succedunt, facillime superabunt. Stabilito uero his artibus imperio, quæ sibi obstare uidebuntur, deleant. Milites, qui mutabiles erant, deponant. Proprios autem creent. Cæteraq; ea ratione disponant, qua regno securitas. Ciuium uero tranquillitas comparetur. Huius rei testes sunt Franciscus Sfortia, ac Cæsar Borgia, ille quidem fortuna fauente, Mediolanensium. Hic uero patris fortuna urgente multorum principatu potitur. Verum Franciscus sua uirtute, atq; prudentia se securauit. Borgia uero patris fortuna reflãte, regnum amisit. Causa autem est. Nam Frãciscus uirtutem atq; prudentiam cum fortuna coniunxit. Borgia uero crudelitatẽ, atq; scelera.

Quomodo qui per scelera ad Regnum peruenerunt, se conseruarunt. Cap. VIII.

MAgna insuper dubitatio nobis exoritur, quo nam pacto Agathocles, Sylla, atq; cæteri, qui per scelera ad principatum peruenerunt: sine insultu, atq; rebellione se in Regno seruarũt. Difficile enim atq; per arduum uidetur. Quippe cum & ciues, quos iniuriis affecerunt, & externos nõ nullos, q ad eundem ipsum principatum aspirãt, sp hostes habeant. Historici, qui rerum euentus annotarunt, hoc immaniti tribuerunt, quæ bene & male pro regnandi peritia accõmodari potest. Asserunt enim immanitatem, quæ tota simul fit, non nunquam ad Regni conseruationem facere. Est enim tyrannicum præceptum (ut malum totum simul) bonum autem, paulatim fiat. Malum enim quod subito fit, temporis diuturnitate tandem e memoria eorum deletur, quibus inferebatur. Bonum autem, quod paulatim confertur, semper eorum, qui accipiunt, memoriam recentem seruat. Agathocles ergo omnes potentes ciues, qui uel in præsens, uel in futurum officere poterant, substulit, postea in dies beneficia cõferendo iis, quorum parentes, aut cognatos, iniuriis affecit, animos deliniit, atq; temperauit, & tandem beneficiorum cumulo ad beniuolentiam deduxit. Hunc modum Sylla seruauit, qui (ut dictaturam tuto posset) hostes, inimicos, suspectos, potentes, qui aduersabantur, uel quos aduersari posse suspicabatur, omnes interemit. Cæterorum uero, qui remanserunt, animos adeo beneficiorum collatione deuinxit, ut depositadictatura, secure diu uixerit, nec uiolenta morte uitam finierit. uerum q̃ impia, q̃ tyrannica hæc sint, nemo est, qui dubitat, non enim Rege, aut pio uiro digna sunt.

Versutia, qua Cęsar Borgia eorum animos permolliuit, quibus innumerabiles iniurias intulerat, quaue eos ad suam beniuolentiam reconciliauit. Cap. IX.

CAESAR uero Borgia Alexandri. VI. Pontificis Maximi Filius, cum in Vmbria, quam ui armorum sibi subiecerat, infinitos inimicos, hostes, atq; suspectos, seditiosos, atq; magnis factionibus diuisos inuenisset, ut eos ad pacem, atq; obedientiam reduceret, ibi Riminum

Orchenſem uirum crudelem,truculentum, atq; expeditum gubernatorem conſtituit. Cui quum omnem poteſtatem præbuiſſet,mandauit ut inimicos,hoſtes,atq; omnes ſuos ſuſpectos deleret,qui regionis tranquillitatem turbarent. Hic paucis admodum diebus omnes ſubſtulit. At Cæſar Borgia cum cognouiſſet ex illius crudelitate eorum qui remanſerunt,nouos hoſtes,ac ſuſpectos fere innumeros emerſiſſe (Nam iniurias quas circa magiſtratus initia ſubditis miniſter infert, ex miniſtri mente: ſed ſi perſeueret,ex principis uoluntate proficiſci exiſtimandum eſt) eorum animos in hunc modum reconciliauit,atq; ad beniuolentiam reduxit. Ceſenæ itaq; aduocatis omnibus, quos ille iniuria affecerat,auditiſq; eorum quærimoniis, perlectiſq; libellis, ut cunctis patefaceret eam crudelitatem non ex ſua, ſed miniſtri mente ortam eſſe, in conſpectu omnium euaginato gladio Riminum ipſum manu propria transfixit. Hinc tantam a ſubditis, qui remanſerunt,beniuolentiam comparauit: ut ad noſtra tempora adhuc eius nomen celebretur. Hac autem ex uerſutia quum & ſuſpectos deleuiſſet, & omnes ſibi in amicitiam reconciliaſſet,principatum aliquando diu firmauit. Verum ulciſcente deo,illum pariter cum patre ignominioſe perdidit.

De Domino Ciuili quis,& unde ortus. Cap.X.

CIuilis uero Dominus (ut ſuperius diximus) is eſt,qui non ſceleribus, nec ui, ſed ſuorum ciuium fauore princeps creatur. nec,ut ad principatum perueniat,nitus,aut fortuna ſola,ſed potius quædam (ut ita loquar) fortunata prudentia ſufficit. Vnde uero principatus iſte ortum habeat,dicendum eſt. In ciuitate fere omni duo hominum genera ſunt, & nobilium,qui ſemper popularibus dominari appetunt,& popularium,qui appetunt nihil præterquam nō opprimi, nec aliqua in re a nobilibus uiolari. Hinc rara,aut nulla ciuitas eſt, in qua inter populares & nobiles clam aut aperte ſeditio atq; diſſidium non ſit. Ex hoc itaque popularium, atque nobilium diſſidio facile Dominus Ciuilis exoritur: & quidem interdum nobilium, interdum popularium inſultu,atq; motu. Nobilium quidem: nam cum nouerint ſe populos opprimere non poſſe,nec illis, ut capiunt dominari, unum ex ſuo genere honorare, atq; præponere cunctis aliis ſtudent,& tanquam omnino principem uenerantur, nec ob aliud quippe,niſi,ut ſub illius umbra,atq; fauore popularibus dominari poſſint. Populares uero,quoniam cum uident ſe nobilium impotentiæ reſiſtere non poſſe,unum popularium, aut nobilium Principem ciuilem creant, ut eius authoritate, atq; potentia protegantur. Hunc in modum Florentini Coſmum & Laurentium Medicen ciuiles dominos crearunt. Senenſes Pandulfum Petrutium, Bononienſes Anibalem primo,deinde Ioãnem Bentiuolum. Hac ratione principatus Genuenſium inſtitutus a populo fuit, & quidem ut popularium unus præeſſet. Verum non prætermittendum eſt hunc Principatum tyrannicum eſſe,aut ad tyrannidem tendere,non enī electione legitima,aut iure hereditario ſit.

Modus quo ſe in Principatu ſeruare ſolet Dominus ciuilis. Cap.XI.

IS igitur qui nobilium aura ad Principatum peruenit, eo difficilius ſe in principatu ſeruabit, qui popularium fauore princeps ſit. Primo quidem,q; ex nobilibus plures habeat,qui non inferiores,ſed æquales uidentur,ita ut nec dominari,nec ad libitum ipſos regere poſſit. Deinde eis ſatisfacere non poteſt niſi multos,quos non debet, iniuriis affecerit. Ad hæc ex inimico populo nullus poteſt ſe tuto ſeruare,cum plurimi ſint,ex nobilibus uero hoſtibus, ſe Princeps tutum reddere poterit, cum pauci admodum ſint. Præterea ex parte populi unum maxime timere debet Princeps, ne ab eis ſolus deſeruatur. At ex parte nobilium, & illud inſuper pertimeſcendum,ne aduerſarii fiant. Ingenio enim ac prudentia longe maiore cum uigeant, longe magis lædere poſſunt. Deinceps ſine nobilibus,Regnum Rex ſeruare poteſt, ſine populis minime. Præterea nobiles ſine populis non proſunt,at populi ſi uolunt ſine nobilibus & poſſunt, & proſunt. Demum populus obedire ſemper magis paratus eſt,cum dominari non conſueuerit. Nobiles magis imperitant, cum obedire ſit ipſis inſuetum. Quare qui nobilium opibus Principatum occupat,

difficilius,q̃ qui populorum, se seruare poterit. Verum nobiles bifariam sunt,aut qui fortune Principis omnino se præbẽt nec rapaces, aut populorum tyranni fuerunt, & hos princeps & honorare,& amare mirum in modum debet. Cum enĩ ex ipsius fortuna pendeant, nihil nisi,ut placeant excogitabunt,aut qui Principis fortunæ non se obligant,nec omni ex parte dedant. Siquidem pusillanimitate, ac prętimore id agãt, permittendi sunt. Immo ad consilia aduocandi, modo prudentes,nec populorum prædones sint. Sin autem liuore,aut maliuolentia,principis fortunę non inherent: ab his princeps se custodiat,hos timeat,& semper(ut hostes) habeat. Semper enim cum poterunt, omni leui occasione emergente, aperto Marte aduersabuntur. Qui igitur populari aura Principatum occupat omni studio,omni ingenio, omnique beneficiorum collatione sibi eum in amicitia,ac beneuolentia seruare studeat. Quod facile efficiet. Si eum a nobilibus deuorari non permiserit,quippe cum quærat populus pręter hoc nihil. Qui uero nobilium fauore omni studio eniti debet,ut populum ad se trahat,& beneficiorum collatione eum alliciat, atq; popularium animos molliat: quod quidem facile assequi poterit,modo eos protegat,atq; ab oppressionibus nobilium defendat. Immo trahet eos ad se magis, nam qui ab his beneficia recipiunt a quibus non expectabant maiore uinculo illis coniunguntur. Immo magis,q̃ si suo fauore principatu Principes illi potiti essent. Patet igitur ex hisce omnem Principem, qui tuto dominari uelit, hoc assequi non posse, nisi cum populorum beniuolentia, alioquin in aduersis rebus remedium inuenire, sibi perdifficile erit. Habis Spartanorum Princeps,dum uniuersam græciam bellis agitaret,Romanum exercitum acerrime sustinuit. Quod quidem agere non potuisset, si patrium, populum hostem habuisset. Hic enim contempta nobilitate, semper cum populo amicitiam firmauit, a multis putans magis lædi posse q̃ a paucis.

Quo pacto in luto, & quomodo non in luto edificat, qui in populo confidit. Cap. XII.

Sed aduersus hęc,prouerbium tritum est,qui populo confidit,in luto edificat. Verum enimuero hoc esse uidetur, cum priuatus aliquis ciuis in populo solum fundamentum firmat,creditq; ut eo solo ab inimicorum turba,aut a magistratuum odio liberari possit. Hoc enim pacto Gracchi decepti fuerunt. Catilina etiam deletus. At si Princeps,qui populo imperitat,uir quidem sit,qui in aduersis non facile cedat, cæteraq; parauerit quæ ad resistendum inuerint,hic secure populo adhibere fidem poterit,in illisq; firmare. Et quidem longe magis q̃ in nobilibus. Adhibitis enim omnibus, quæ ad resistendum necessaria sunt, melius cum multis q̃ cum paucis stãdum est. Hunc modum Cæsar & omnes,qui ad Regnum aspirarũt seruarunt. Semper n. placere populo studuerunt, a nobilibus autem(si fieri potest)odio non haberi. Huius rei clarissimum exemplum præstiterunt Reges nostri Aragonenses,qui populi fauore, ac beniuolentia andegauensium & nobilium factioni facillime restiterunt. Testatur & Prosper Colunna,qui Mediolanensi populo fauente cui acceptissimus fuerat Gallorum copias,paucioribus cum militibus fugauit,atq; deleuit.

Quomodo periclitentur ciuiles Principes. Cap. XIII.

Verum periclitantur Principes hi,cum ex ciuili ad absolutam tyrannidem peruenire enituntur. Ciuiles enim domini(ut diximus)non absolute imperitant,sed ciuilibus magistratibus consentientibus, cum ergo ad absolutam dominationem peruenire studeant, hoc opus, hic labor est,non enim aliquid facere,aut deliberare possunt, magistratibus non permittentibus,qui ad officia instituũtur. Sed quoniam cum ad absolutam potestatem peruenire contendunt,tu multus non parui emergunt,temporibus quidem aduersantibus,facile aut destituẽdo ac deserendo, aut aduersando e principatu eum deturbabũt. Qui ergo ad absolutam ptãtem euehi cõtenderũt. Studuerũt diligẽter,ut ciues,qui in magistratu sũt

semper, atq; in omni temporum conditione & se & suo principatu egeant. Nam licet non propter beneuolentiam, saltem tamen ob necessitatem fidem seruabunt. Declarauit autem rem hanc Cæsar, qui cum magistratibus indulgentibus ciuiliter dominabatur, tuto regnauit. Postquam autem ad absolutam potestatem peruenire enisus est, cõiuratum est in eum. Dionysius Iunior post mortem patris quum ciuiliter Syracusanis imperaret, patienter eum tulerunt. Postquam autem ad absolutam tyrannidem uenit, in exilium missus est.

Quomodo ciuilis dominus poterit se ab externis hostibus defendere. Cap. XIIII.

POtest autem ciuilis dominus ciuitatem suam defendere bifariam. Aut urbem muniendo, aut arma propria, proprioscq; milites creando. Munitur autem ciuitas muris, fossis, arcibus, machinis, atq; ciuibus in bellis diu exercitatis. Hoc pacto Germaniæ urbes interdum se a suis imperatoribus defendunt, cum eas opprimere uolunt. Replent enim urbem omnibus, quæ ad uitam necessaria sunt, muniunt muris, fossis, uallis, arcibus, machinis, omnibusq; necessariis ad resistendum. Et ne populi necessitate ducti deficiant, ex ære publico parant omnia, quæ ad uitam necessaria sunt, emuntq; multa pro eorum artificiis, ne de lucri amissione quærantur, quæ conficiunt reipub. sunt. Pro laboribus uero, quibus illa struunt, mercedem ex ære publico soluunt. Bello autem confecto, quæ artifices ipsi confecerunt, respub. uendit. Habent insuper ex ciuibus propriis milites, quos rursus ex publico ære sustentant, eosq; semper in exercitio militari seruant. Hic ergo est primus modus, quo profecto si populus fidelis fuerit, & si non semper statuto tamen tempore, saltem poterit dominus ciuilis urbem suam defendere. Nec obstat agrorum damnum, aut uillarum deuastatio. Nam prudens princeps simulatis nunciis, fictis literis, aliisq; strategematis semper populo spem salutis atq; uictoriæ afferendo, fidos sibi conseruare poterit, quousq; damnum illatum sit. Postquam illatum eis fuerit, nihil est quod amplius timere possint. sicq; ipsi nequaquam deficere excogitabunt. Alter modus expositus est, ut creãdo milites proprios, fideles, atq; amicos, quorum necessitas

necessitas ex sola principis fortuna dependeat. Nec obstat si pauci sint, modo strenui, ac ueterani, & experti. Heluetii nobis testantur, qui propter concordiam & bonum publicum, ac libertatem, licet pauci admodum sint, & in medio magnorum Regum collocati, illis tamen facile resistunt, etiam si fœderati eos inuaderent. Alii autem defendendi modi, ut puta per milites aut auxiliares, aut mercennarios, fortuiti sunt, atq; incerti. Quibus uero legibus ac modis hi se conseruare poterunt, qui aut ui, hoc est armis, aut dolis, aut factionibus, aut seditionibus tyranni euaserunt, ex hisce etiam perspicuum. Non enim de his seorsum scribere oportuit, cum ex hisce suorum regnorum etiam conseruationes pateant.

AVGVSTINI NIPHI MEDICAE
De Regnandi Peritia Liber Quartus.

PROOEMIVM

CVM sint quædam, quæ & armis & legibus conferãt, quibus & seruantur, & defenduntur regna; hæc breuibus percurrenda sunt, & quidem per modum quæstionum, ut more peripatetico fieri solet.

An pro Regnorum conseruatione deceat Principem esse liberalem. Cap. I.

ET primo de liberalitate disputandum, an pro regnorũ conseruatione deceat Principem esse liberalem. Liuius asseruit Auaritiam, & Luxuriam duas esse pestes imperii: nec ab ratione quidem. Nam Princeps, qui liberalitatem exercuerit, ex hostibus amicos, ex alienis suos, ex infidis fidos faciet: peregrinos etiam & in extremis terris agentes, ad se amandum alliciet. Alii uero non paruæ auctoritatis uiri regnorum conseruationi obesse asserunt liberalitatem. Nam si eius (ut Aristoteles inquit) qui liberalis est, uehementer in

dando excedere sit ita, ut sibi ipsi pauciora relinquantur, fit ut Princeps, qui liberalis est, plura aliis quam sibi dare cogatur. Quare extraordinariis tributis subditos grauare compelletur. Quam notam non potuit euitare Alfonsus Rex Aragonum, qui primus ex Aragonia familia hoc regno potitus est, alioqui multis uirtutibus insignis. Nostris uero temporibus Virginius Vrsinus, & Fabritius Columna dum liberalitatis famã aucupantur, suos subditos nouis tributis grauare compulsi sunt, seqꝫ ære alieno obruerunt. Præterea hoc liberalitatis genus e Principe ipso fidem, atqꝫ authoritatem detrahit. Delet enim diuitias, quibus authoritas habetur. Ad hæc si plura aliis q̃ sibi liberalis Princeps dare debet, belli neruum elidet, qui, ut Demosthenes in Philippum, & post eum Aristoteles in Rhetoricorum libris scribit, nummus est. Quare si bellum sustinere uoluerit, grauare subditos, ipsosqꝫ nouis tributis opprimere cogetur. Vnde fit ut regnũ in magno periculo constituat. Accedit ad hæc qꝺ non liberales, sed parci aut auari magna fecerint. Iulius enim. II. Pontifex Maximus cum per fictum liberalitatis nomen ad imperium peruenisset, spreto liberalitatis nomine, pontificatus uires auxit. Ludouicus Gallorum Rex temporibus nostris dum multa bella gessisset, populos nouis tributis raro oppressit: nec aliam ob causam nisi quia parcus erat. Ferdinandus Catholicus auus tuus maternus, qui tot præclaris uictoriis potitus est, eas assequi non potuisset, nisi parsimoniæ intentus. Ne igitur Princeps subditos deprædari, aut pauper ac contemnendus euadere, aut tandem rapax atqꝫ populorum prædo fieri cogatur, liberalitatem abhorrendam censent. Nobis uero & si de ea plura in libello de optimo Principe dixerimus, nunc hæc uidẽtur qꝺ liberalitas sit altera uulgaris, quæ reuera prodigalitas est. Sapientum altera, de qua Aristoteles multa in Ethicorum libris. Huius duæ sunt partes, altera in dando quibus oportet, quãdo oportet, & honesti causa. Altera in non capiendo ab his, quibus non oportet. Hinc illud Liuii uerum est, cum inquit. Luxuria & Auaritia omnia regna pessundant. per luxuriam enim non tantum immodicum luxum, sed prodigalitatem intelligens, quæ uulgaris liberalitas est. Per eam enim compellitur Princeps populos deprædari, pauper ac contemnendus fieri, rapax tandem subditorum ac prædo euadere. Vnde non ab ratione ab Aristotele dictum est prodigum esse, qui seipsum perdit. Videtur autem seipsum perdere, quia patrimonium dissipat, ex quo uitã ducere debet. Liberalitas autem Principi idonea est non ea ex parte, qua aliis plura q̃ sibi erogat, quoniam (ut dictum est) bellorum neruum delere cogetur, sed ea ex parte qua a quibus non debet, nõ accipit. Hoc. n. pacto a pluribus liberalis semper habebitur, ut ab his omnibus a quibus, quod non debet, non accipit. a paucioribus autem, non liberalis, ut ab eis solis quibus non plura quam sibi erogat. Hi enim perpauci sunt. Per hanc etiam partem accidit Principem subditos non deprædari, nec nouis tributis præmere, nec pauperem ac contemnendum fieri, nec prædonem euadere, nec a multis odio haberi: Quæ omnia regnorum conseruationi prodesse nemo est qui dubitat. Hanc partem aliquando Cyrus seruauit. Nam quando liberalitate uti non poterat, beniuolentiam suorum humanitate conabatur assequi. Prosper quoqꝫ Columna (quem honoris gratia & uirtutũ ego sæpius nomino) nouissimum hoc liberalitatis genus optime calluit, seruauitqꝫ erga subditos, & ad hunc diem constantissime seruat.

De Cæsare, & Alexandro, ac Cyro opponitur, & declarat quomodo liberales fuerunt. Cap. II.

Occurret autem quispiam asserens Cæsarem, Cyrum, atqꝫ Alexandrum ob liberalitatem ad summum rerũ fastigium peruenisse. Respondebimus liberalem esse aut qui potitus regno liberalis est, aut qui in rerum cursu, ut regno potiatur, liberalis iudicatur. Ei, qui regno potiturus est, liberalitas interdum prodest, ut Cæsari. Cæsar enim ex liberalitatis nomine ad regnum peruenit. Qui uero potitur iam, liberalitatem uulgarem fugiat, Cæsar enim si regno potitus diu uixisset, liberalitatemqꝫ uulgarem, ut consueuerat, exercuisset, dubio procul ipsi (ut Neroni) euenisset. Alexander uero, & Cyrus nec de suis, nec de subditorum bonis liberales fuerũt, sed de hostium spoliis, quæ in bellis lucrati sunt. Hæc enim militibus amicis, & quibus uidebatur, liberaliter erogarunt. Præterea dederũt, quę tenere nõ poterãt, p̃turas, magistratus. In pecuniis uero ꝓpriis, quæ seruari poterant, parci fuerunt.

Debet ergo & qui ad principatum aspirat, & qui in bellis a militibus benivolentiam captare uelit, liberalitate splendere, nõ ea omnino elargiẽdo, quæ sua sunt, aut subditorum, sed quę ex præda lucratur.

De crudelitate, ac clementia Principis. Cap. III.

DE clementia uero, ac crudelitate etiam addubitatur, an Principi pro principatus conseruatione clementia magis q̃ crudelitas conferat. Nonnulli crudelitatem prodesse magis asserunt, qua immitis Princeps existimetur a subditis. Nam licet principum quisq; studere debeat, ut ab omnibus clemens habeatur. tamen nonnunquam clementia plurimum ipsi oberit, si ea abutetur. Crudelitas cõtra, si bene. Vt de Cæsare Borgia uidimus, qui crudelitate magis q̃ clementia in uniuersa Vmbria tumultus sedauit, & ipsam ad obedientiam, ac fidem reduxit. Præterea ex clementia cædes, rapinæ, opprobria, uiolationes, furta, & omnium malorum genera exoriuntur: ut in Neapolitano regno nuper uidimus, quæ non modo regni conseruationi obsunt, sed pietati, ac religioni. Ad hæc nouo Principi periculosa est clementia, necessaria autem crudelitas. Sunt enim principatus magnis periculis pleni, quibus cogitur Princeps truculentis uti iniuriis. Vnde Virgilius, Res dura, & regni nouitas me talia cogunt Moliri, & late fines custode tueri. Profuit autem Cambysi crudelitas, qui uictor non solum non hostibus pepercit, sed ne diis quidem, deorum ue sacerdotibus. Syllæ quoq; utilis fuit. Nam ut secure dictatura potiretur, septem milia Romanorum uno die occidi iussit. Aliis uero placet magis clementia, cum uirtus sit, quę in parcendo mediocritatem seruat. Hęc quoq; non minus q̃ fortitudo plurimis ac maximis Imperatoribus profuit, ut Alexandro, Philippo, Xerfi, Cyro, aliisq; plurimis. Viuo Cæsari Romanus populus templum commune cum dea Clementiæ condidit. Nam nullum (ut scribunt) mansueti, ac clementis officium unquam omisit. Sunt qui dicunt crudelitate in paucos, clementia in multos utendũ esse. In paucos quidem crudelitate pro malorum terrore. Oderũt enim peccare mali formidine pœnæ. Clementia uero in multos ad crudelitatis nomen euitandum. Est enim crudelitatis nomen adeo infaustum & odiosum ut inimicos, & amicos suspectos faciat. Q̃d uero ad prauorum terrorem in paucos Princeps crudelitate uti possit, persuadent morales philosophi, qui asserunt Principem punire posse aliquem sine culpa, modo adsit punitionis causa. Fugat enim Princeps aliquãdo pro sui regni salute eum e regno, qui aduersus se nihil mali aut fecit, aut excogitauit, modo adsit causa exilii, ut puta uel quia de gente suspecta, aut quia filius patris rebellis, aut ob aliud id genus. Vnde Græci ostraciſmo aduersus suspectos utebantur. Ego uero hæc, quæ isti dicunt, iure dicta esse arbitror, modo temporum ratio habeatur. Interdum enim Principi utile est, ut eius qui crudelis est, nomen uendicet. Interdum autem obest. Iterum subiecti ac personæ ratio habenda est. Princeps enim in aliquibus crudelitate utens, non nihil boni lucratur. In aliquibus uero mali multum. Rursus regionis ac locorum consideranda ratio est. Quippe cum quibusdã regionibus utilis pro pace inter eos firmanda sit crudelitas. aliis contra pernitiosissima. Quare clementia atq; crudelitas Principi utilis esse potest, modo prudẽtia ac recta ratione temperetur. Clementia enim multa, quæ ex nimia fiducia proficiscitur, Principem facit incautum atq; contemptibilem. Crudelitas uero, quæ ex multa exoritur diffidentia, principem facit intolerabilem. Temperanda est igitur crudelitas, atq; clementia, ita tamen ut mansuetudo semper præcellat. Hinc misericors & iustus dominus a sacris uiris deus dicitur: in quo animaduertendum misericordiam iustitiæ præponi.

An timeri, uel amari magis Princeps debeat. Cap. IIII.

EX his quæ dicta sunt, ea exoritur quæstio, timeri ne, an amari Principem melius sit. Respondent nonnulli esse regno melius ac lõge tutius Principem timeri, q̃ amari. Hinc illud. Oderint, dum metuant. Si enim omnes boni atq; grati essent, beneficiaq; a Principe collata, semp cognita, amari tutius ac melius esset. Quia uero mali plures q̃ boni, proditores plures q̃ fideles, ingrati plures q̃ grati, mobiles plures q̃ stabiles, simulatores plures q̃ ueraces, proprii magis q̃ regii lucri cupidi, promittentes magis q̃ obseruantes, tutius aiunt esse timeri. Qui enim offendere parati sunt, eos minus suspitiunt,

quĩ amari magis q̃ timeri uolunt. Præterea ex obligationis uinculo amor proficiscitur, eorum beneficiorum, quæ subditi acceperunt, quod mali homines ex quauis leui causa colligunt. timor uero ex pœnæ imaginatione, quæ nunquam te derelinquit. Sylla studuit ut utroq; modo haberetur, ut puta pariter & amaretur, & timeretur. Vnde in eius sepulchrum scriptum erat. Nemo me amicus beneficentia, nemo me inimicus in inferenda iniuria superauit. Amabatur ergo ab amicis ob crebram beneficiorum collationem. Timebatur ab inimicis, quia iniuriarum ultor maximus erat. Si autem fieri non potest, ut pariter Princeps & ametur, & timeatur, distinguendum esse arbitror Regem a tyranno. Nam tyranno fortasse timeri tutius est. Siquidem in tyrãnide uinculum timoris firmius est, q̃ amoris. Regi autem amari longe melius & honorabilius esse censemus. Nam erga Regem subditorum beniuolentia naturalis admodum est. Sunt enim amoris genera duo, necessarium scilicet, & uoluntarium. Bonum quidem ueluti deum necessitate quadam nobis naturali amamus. Iucunda uero uoluntario atq; placito amore. Quia igitur Rex per se bonus est, fit ut necessitate quadam admodum nobis naturali eum amemus. Tyrannum autem non nisi uoluntate ac placito, uidelicet pro beneficiorum ratione diligamus.

Cur in Annibalis exercitu, licet ex diuersis hominum generibus esset congregatus, nulla seditio uisa fuit. in illo uero Scipionis plurime, licet ex hominibus eiusdem generis constaret. Cap. V.

QVOD autem timeri utilius interdum sit q̃ amari, testes nobis Annibal, atq; Scipio sunt. In Annibalis enim exercitu, licet ex pluribus hominum generibus constaret, nullam factam esse seditionem legimus. In exercitu uero Scipionis plurimas contigisse scribunt. Illud quidem quia Annibal timendus ac terribilis erat. Hoc uero quia Scipio militibus beniuolus, atq; ab eisdem amatus. Nimia enim beniuolentia milites suos ad seditionem fecit audaces. Ausi enim fuerunt in Hispania ipsi non parere, immo quasi rebelles fieri. Vnde Fabius Maximus in senatu corruptorem Romanę militię Scipionẽ appellauit. Quem nõnulli uolẽtes excusare, esse nõ nullos homines dixerunt, qui longe magis nõ errare, q̃ alioꝝ errores corrigere ualeãt. Quare cum amari in eoꝝ uolũtate sit, qui amãt, timeri uero in tyranni uolũtate constitutũ, tyranni inuenti sunt, qui in eo qd̃ suũ est, non aũt in eo qd̃ alienũ, suę dominationis fundamenta constituerint.

An Princeps timeri possit, & non odio haberi. Cap. VI.

VErum ex his non parua rursus quæstio exoritur, An Princeps timeri possit, non autem odio haberi. Prima quidem fronte hæc nullo pacto inter se stare posse uidentur, qd̃ qui timetur, odio haberi uideatur. Verũtamen nõ ita esse argumento nobis est deus, qui ab omnibus timetur, a nullo autem odio haberi potest. Argumẽto etiam sunt & filii, qui patrem timent, etsi tamen odio nõ prosequuntur. Potest igitur aliquid pariter timeri, ac amari, ut deus, & pater. Potest etiam aliquid timeri, & non amari, ut fulmen. Potest etiam aliquid timeri, & odio haberi, ut hostis, quando potentia ac fortitudine est formidabilis. Deniq; aliquid timeri potest, pariter nec odio haberi, ut Princeps, qui absq; clementia atq; commiseratione iusta agit, qui subditis iniurias non infert, bona eoꝝ non deprædatur, ac cuncta quæ facit, iure ac ratione facit. Hic enim non amatur, quia subditis beneficia, ex quorum collatione amoris uinculum emergit, nõ contulit. Odio etiam nõ habetur, quia nihil agit, quod sit odio dignum. Timetur autem, quia nullis delinquentibus parcit.

Vnde coniurationes ortæ, & quæ timendæ, quæue parui faciendæ. Cap. VII.

POst hęc de coniurationibus differendum, unde quidẽ ortæ, quęue pertimescendæ. Coniuratio igitur ex parte Principis, ex parte subditoꝝ populariũ, & ex parte æmulorum ortũ habet. Ex parte Principis quidẽ, cũ ipse imprudẽs ineptus, timidus, impotẽs, sine fœderatis, atq; beneuolis finitimis fuerit. Ex parte subditoꝝ uero, cũ ob iniurias, ob noua tributa, ob nouas leges, quibus erãt insueti uiuere, atq; ob scelera nefanda Principẽ sũmo odio prosequunt. Ex parte æmuloꝝ q̃ principatus factiõibus eẽt dilectus: ob quas ẽt subditi essent diuisi. Maxime aũt timẽda cõiuratio ea ẽ, q̃ ex his oĩbus ortũ habet: ut ex populari odio, ex Principis flagitiis, ac impoten-

tia,& ex emulorum inuasione. His enim tribus concurrentibus,semper coniuratio effectum habebit. Qui uero in Principem coniurauerit,nec populo fauente,nec potenti emulo inuadente,& Princeps ipse prudens,& potens fuerit,frustra coniurat,aut potius in sui q̃ in principis perniciem conspirabit,huius rei exemplum attulerunt Canenses in Bononia, qui cum ex coniuratione Annibalem Bentiuolum interemissent,mox ipsi omnes a populo,qui Annibalem summo amore prosequebatur,interempti sunt. Procedente uero tempore,Bononienses cum Principe carerent, Ioannem Bentiuolum Annibalis filium,qui puer clam Florentiæ educabatur(credebatur enim fabri cuiusdam filius) perquisiuerunt, quem cum Annibalis interempti filium esse diuulgassent, mox plaudente populo, Bononiam perduxerunt, & illic omni diligentia educarunt, quousq; Principatum regere potuisset,hoc autem factum non esset,nisi populus Annibalem patrem amore, ac beniuolentia prosecutus fuisset. Quare Principes pilifacere debent coniurationes populo ob beniuolentiam dissentiente, potissimum si potens, ac prudens sit, ac cum pluribus & quidem potentibus federibus iunctus. Princeps enim duo timere debet,populum ne coniuret,& externum hostem,ne inuadat. Delebitur enim coniuratio, primum quidem, si Princeps a populo erit amatus,ac ueneratus. Deinde uero si rpoprios milites habuerit,necnon & federibus iunctos,& amicos,ac socios.

Vnde ortum sit Gallorum concilium, quod uulgo parlamentum dicunt,& ad quid conferat. Cap. VIII.

AD tollendam igitur in Gallia inter nobiles & populares seditionem,quæ ibi crebro fieri solebat,ppea q̃ nobiles plebem opprimere studebant,plebei a nobilibus opprimi non patiebantur. Sapienter institutum fuit concilium,quod uulgo parlamentum dicunt, cui Rex tantam præbuit authoritatem,ut ab eius concilii magistratibus, etiam ipse compelli ac iudicari possit, nõ enim decere uidebatur Regem in illorum differentiis iudicem esse, ne propter iuditia prolata ab utrisq; odio haberetur. Quæ enim ad gratiam attinent, Regis sunt. Quæ uero ad iustitiam, eorum qui ministrant, euitat igitur eo modo Gallorum Rex omnem prorsus & nobilium, & plebæiorum inuidiam ac maliuolentiam, Quum uideant se ad id iuditium compelli, Quo & Rex ipse compellatur. Nihil enim ad amandum Regem magis cogere uidetur (ut inquit Socrates) q̃ ea iustitia, quæ Regi & populis, & nobilibus æqualitatem seruat.

Quam ob rem nonnulli Romanorum imperatores, cum recte, erga populum se gesserint uiolenta morte perierint. Cap. IX.

MAgnam dubitationem afferunt nonnulli Imperatores,qui & ad populum,& ad patritios bene ac prudenter se habuerunt,& tamen male finierunt, hinc queritur unde hoc. Verum antequam ad eos nominatim descendamus,illud animaduersione dignum est, Principes, qui hodie sunt,duas habere difficultates,ex parte nobilium alteram, qui semper opprimere populum appetunt, ex parte populi alteram,qui non opprimi cupit. Romani uero, Imperatores,habuerunt tertiam,& quidem longe maiorem,quæ ex parte militum erat, qui crudeliter, ac insolenter & nobiles, & plebem deprædari appetebant. Imperatores ergo, qui populos bene, iusteq; regebant,quicq; eos a militibus opprimi insolenter non permittebant,odio a militibus habebantur,hinc aliquando in eos coniurabatur. Qui uero contra militibus ipsis hærebant, eorum scelera,ac rapinas permittentes, a populis odio habebãtur,& inde populi in eos persæpe conspirabant. Hinc factum est,ut quibusdam uirtus, quibusdam uitium obfuerit. Pertinax enim grandæuus octuagesimo die Imperii prætorianorum militum imperio & Iuliani scelere occisus est, qui tamen modestus,iustus,atq; omni uirtute clarus erat. Simili modo & Alexander Seuerus,& gladio barbarico & Scurre, barbari manu belli tempore periit,qui tantum animi habuit,ut putaretur Diis immortalibus comparandus. Causa uero occidendi eius hæc fuisse perhibetur, q̃ mater eius relicto bello Germanico in orientem,ad iactantiam sui rediret: atq; ob hoc esset iratus exercitus. Commodus autem, & Caracalla: atq; Maximinus truculẽtissimi,rapacissimi,atq; omni uitiorum genere scelestissimi fuere,quia tamen nefanda militum scelera tulerunt,omnes manu populorum male finierũt, Seuerus,autem,qui fuit

ferocissimus Leo, Vulpes autem astutissima in conspectu milli tum admirabilis. in conspectu uero, populorum terribilis uidebatur. Res populorum, atq; militum adeo composuit, & tantis diuerticulis eos oppressos, atq; occupatos tenuit, ut malum omnino finem non sortiretur.

Quæ mortes Principum ineuitabiles, Quæue euitabiles. Cap. X.

POst hæc de ineuitabili Principum morte pauca dicamus quoniam innumeræ sunt. Sed ea potissimum Principibus ineuitabilis est, quæ obstinatione unius fieri consueuit. Illa enim quæ ex Mutii Scevolæ deliberatione ordinata erat, Etruscorum Regi ineuitabilis fuisset. Qui enim ut alterum perimat, ipse mori non dubitat, hic ineuitabiliter Regem interimet. Hoc pacto. P. Antonius a quodam Centurione, cuius fratrem ignominiosissima morte occidi iusserat, in medio sui exercitus ineuitabiliter interimitur. Caueat ergo Princeps alicui acriter officere, iniuriasq; præter modum inferre, nam sunt qui ut ulciscantur, non curant mori. Sicut memoria nostrorum patrum Mediolanensium Principi Galeatio euenit, hic enim cum quendam suum ciuem iniuriis afficisset, ab illo tandem pertinaciter in ipso templo, dum sacra fierent, interimitur. Mortes uero, quæ multoq; coniuratione destinantur, Principes facile euitare possunt, populo præsertim dissentiēte.

De iureiurando, atq; seruanda fide. Cap. XI.

POstea an seruanda a Principibus fides sit, iure dubitatione dignum est. Et primo quidem, quia Reges nonnulli iusiurandum infringentes, res magnas assecuti sunt, ut Philippus Macedonum Rex, qui simulationibus, & mendatiis res magnas gessit. Annibal etiam & Amilchar, cæteriq; Aphri fere omnes nunquam fidem seruarunt, qui tamen excelsa ediderūt facinora. Ptolemæus Ceraunus cum plures res memoratu dignas egisset, raro iusiurandum seruauit. Propter ea nonnulli historiarum scriptores duplicem contentionem esse affirmāt. Alteram, quæ uiribus & armis. alteram, quę legibus ac rationibus perficitur. Quæ uiribus ac armis agitur, belluarum est. Quæ uero legibus, ac rationibus, hominum. Asserunt igitur, si hæc secūda satis sufficiens fuerit, in ea permanēdum esse, nec ad illam alteram aliquo pacto transeundum. Sin uero, non satis esse uidebitur, confugiendum esse ad primam persuadent, nec in ipsa quæ legibus, ac rationibus constat, perstandum. Prudentem enim esse principem dicūt, qui pro temporum ratiōe, & homine, & bestia uti non ignorauerit. Bestia quidem cum, leges, & fidem, atq; iusiurandum omittit. Arma uero, ac nim sequitur, homine autem cum prædicta omnia obseruauerit, quam rem profecto scriptores animaduertentes, Achillem & nōnullos alios uetustissimos Reges a Chirone cētauro educatos esse scripserunt, Significare uolentes ut ego quidem interpretor, Reges pro temporę, locorum ac personaę rōne uti debere, utraq; natura, humana quidem, cum uera dixerit, fidemq; ac iusiurandum seruauerit. Ferina uero, cū regnādi cā iusiurandum uiolare compellit. Cōpellitur aūt quia non oēs, cum qbus fœdus est, boni, ac iusti sunt. Nam si oēs boni, ac iusti essent, nō nisi humana natura utendum esset, ueręq; quia plures eoę, cum quibus societas est, mali sunt, & infidi. Cogitur interdum princeps iusiurandum ēt uiolare. Sed tunc non paę dubitatione dignum est, quonam modo tyrānus Regiū munus seruare iudicari poterit, qd' est nō mentiri, uera dicere, iusiurandū nō uiolare, fidēq; nō infringere. Nam ut Apollonius inqt, potius serui q̄ liberi hoīs est mentiri. Apud Persas ēt (ut Herodotus scribit) nō Regium, sed seruile erat mētiri. Præterea si in iusiurandi uiolatione tyrānus deprehendetur, quonā pacto amplius amicos, ac fœderatos sibi p fidem cōparabit, sine qbus regnū seruare uix pōt. Tyrānus itaq; regium munus ut dicūt, seruare uideri poterit. Primo qdem simulatione, ut si se uerācem fidē, ac religionē seruaturę palā oībus pollicebit. Si eos etiā punierit, q fidē, ac iusiurādū spreuerint. Si insup præ se ferret ueritatis studiosum: iusti defensorē, iniuriaę acerrimū hostē, cū. n. hæc simulauerit, tyrānus, ut uerax a uulgo hēbitur, a paucissimis simulator. Soli. n. sapiētes eū simulare itelligēt, cęteri oēs id ignorabūt, possem tibi astruere q Reges, & q potēta tus, nra & prum nroę memoria fœdera & ius uiolando magni & iusti uulgo habiti sunt, sed honoris gratia prætermitto, uulgus. n. magis oculis q̄ mēte, & magis sensu q̄ intellectu mouet at in sensu simulatio est, ueritas autem in mente, quare a multis uerax censebitur, a paucissimis simulator. Deinde in omnibus fidem seruare debet Tyrannus. In paucis iusiurandum uiolare. ut solum in his, quæ regnandi causa fuit, quæ pauca

admodū sunt. Quare uerax a pluribus habebit. Insuper si in iurisiurandi uiolatione tyrannus deprehendetur, nunq; eius rei causa deerit, aut testes sui mendacii non inuenient. Nullū enim mendacium (ut ait Plinius) tam imprudens est, quod teste careat. Romani igitur in omnibus iusiurandum, ac fidē seruare iubebant. Nam iusiurandum affirmationem religiosam esse asserebant, quasi deo teste factam. Vnde. M. Attilius Regulus, qui primo bello punico a Carthaginensibus captus fuit. Romam uenire ad senatum iussus, data fide, ut nisi redderentur in uia captiui, ipse Carthaginem rediret. Is Romam uenit, nec censuit e repub. esse Carthaginensium reddi captiuos. Maluit tamen ad supplitium redire, q̄ iusiurandum fidēq; hosti datam infringere. In. II. item Punico bello unus ex captiuis, quos Romam Annibal redimendorum sociorum gratia dimiserat, domum rediit. Quod ubi innotuit, senatus eum censuit comprehendendum esse, & custodibus publice datis ad Annibalem quoq; ducendum, tanti fidem ac iusiurandum faciebant Romani. Morales philosophi in iustis bellis concedunt insidias a Principibus committi posse, modo iusiurandum non uioletur. Sertorius autem temporibus difficillimis ad milites multa dissimulabat, ubi dissimulatio usui esse uidebatur. Cæsar ipse (ut. M. Cicero author est) si ius uiolandum est, regnandi causa uiolandum esse dicebat. Et quia ea quæ regnandi causa fiunt, pauca admodum sunt, ideo tyrannus in paucis iurisiurandi uiolator existimabitur. Hæc nisi a sapientibus, qui paucissimi sunt, deprehendentur. Verum istud Cæsaris dictum, tyrannicum. illud. M. Attilii Reguli factum, religiosum ac regium fuit.

Quæ faciunt Principem egregium, ac æstimatione dignum. Cap. XII.

QVONIAM nihil est quod populos magis Principum uoluntati subiiciat, q̄ authoritas, ac admiratio. Deinceps quæ res admirabilem & magni æstimandum Principem faciat, ponamus. Sunt enim quatuor, ut Aristoteles in Rhetoricorum libris edocet, Rerum gestarū gloria ac magnitudo, fidei certitudo ac stabilitas, populoq; cura, atq; rerum honestarum professio, Principis facilitas, nostris quidem temporibus admirabilem grandia facinora fecerunt, Ferdinandum Catholicū (de quo sæpius locutus sum) Maternum Auum tuum, cuius res gestas si recensere uellem historias non disputationem componere me oporteret. Primo enim ex paruo magnus Rex Hispanorum factus est, & quia Principes sui Regni suspectos habebat, ut illorum animos occuparet, & ab insultibus & rebellionibus auerteret, Bethicam, quæ a Maurorum Regibus tenebatur, inuasit. Deinde Hispaniarum tyrannos, atq; geriones substulit, prędones, quibus tota Regio occupata erat, deleuit, impios expulit, nihilq; quod religiosum uideretur, prætermisit. Ad hæc Ludouicum Gallorum Regem Italia cedere coegit, & si apud Rauennam a Gallorum exercitu suorum ducum ignauia uincitur, non tamen turpiter, nec incruēta uictoria cessit, quæ omnia ita eum gloriosum, atq; admirabilem effecerunt, ut iure, ac merito diuinis illis ueteribus Regibus æquari possit. Gloriosum, ac admirabilem & authoritate dignum etiam Principem facit, fidei stabilitas, ac certitudo qua cum amicis amicitiam, & cum inimicis inimicitias, & cum federatis semper fedus seruat. Hic enim semper, atq; ab omnibus in magna authoritate habetur. Neutrum uero præstare formidolosorum hominum est, & (ut dicemus) plerunq; damnosum. Egregium etiam, atq; admirabilem Principem faciunt rerum honestarum ostentatio, & subditorum cura. Ostentatio quidem, nam Princeps, q uirtutem, & uiros in quouis uirtutum genere probatos amare se ostendit, non parum admirationis affert, unde Dionysius iunior dictitabat se multos quidem alere liberalium artium doctores, non q̄ illos admiraretur, sed quia per illos alii admirationi esse uellet, nec iniuria quidem, Nam Princeps tali ingenio, taliq; natura ab omnibus censetur, quali præditi fuerint illi, quos assidua consuetudine, ac amicitia coniunctos habebit, unde Euripides tyrannos dicit fieri sapientes sapientum consuetudine, nostra etiam etate Laurentius Medices Florentinorum tyrannus ut se omnium uirtutum studiosum esse præ se ferret uiros quauis uirtute claros, semper sibi contubernales, & quasi continuos assecias habuit. Præterea cum his est religionis studium, nihil enim est, qd̄ magis principem uenerationē dignum faciat, q̄ religionis obseruatio, hæc enim Numam Pompilium, Herculem, Alexandrum, Aeneam, cæteros q̄, qu

religionis cultum locupletarunt, non solum omni laude dignos effecit, sed inter deos connumerauit antiquitas. Subditorum uero cura. Rex enim qui curat ut subditi mercaturas, opera, agriculturas, commertia, commeatus, necnon omnia, quæ uitæ necessaria sunt, secure agere possint, omnibus est admirabilis, ac authoritate dignus. Nam cum natura hoc nobis præscribat (ut homo homini semper prosit) cura subditorū ad ineundam gratiam, beniuolentiamq; seruandam in Principe commodissima est. Scribit enim Varro Herculem sic cognominatum esse, q̄ hominum adiutor ac defensor esset. Admirabilem etiam & quarto Principem facit facilitas. Nihil.n. iucundius, ac admirabilius in populo esse potest, nihil amabilius, q̄ cum homines intelligunt aures eius, qui regnat, sibi patere, nec quœrelis suis occlusas esse. Facetus quidam scurra interio andum dictitare solebat, malle se cęcutienti, q̄ surdastro domino inseruire. Nam si ille minus cernit quæ facit, magis e re sua esse potest, q̄ si minus audit quæ dicit. Facilitas Philippi Macedonum Regis multarum ciuitatum animos conciliauit, adeo ut plures beniuolentia ac facilitate q̄ armis subegerit. Ferdinandum etiam primum Neapolitanum Regem admirabilem, ac maxima authoritate præditum faciles ac benigni mores effecerunt. Nunq̄ defuit quin omnibus se & curatorem & patrem ostenderet. facilis omnibus, ac eodem uultu semper hilaris, iucundus, modestus, ac comis adeo fuit, ut nulli aut uultu, aut uerbis unquam se durum atq; asperum prębuerit. Facilis ergo Princeps esse debebit, sed non adeo ut in contemptum ueniat, animosq; subditorum corrumpat. Antoninus quidem Commodus q̄ gladiatoriis armis sæpissime in ludo, deinceps & in amphiteatro publice cum gladiatoribus dimicasset, ab omnibus contemptui est habitus.

De neutram in partem Principis inclinatione. & an Achæi neutri esse debuerant. Cap. XIII.

CVm dictum sit Principem non neutrum, sed determinatum esse debere aut ad amicitiam, aut ad inimicitias, hinc ardua quæstio exoritur, Vtrum Romanis & Antiocho inuicem bellum gerentibus, atq; hinc inde ad Achęos legatis missis, Achęi ipsi neutri an alteri partium inhærere debuerint. Romanorum quidem legatus ita Achęis locutus esse dicitur. Quod autem isti dicunt non interponendos esse uos bello, nihil magis alienum a rebus uestris est. Sine gratia enim sine dignitate præda uictoris eritis. Quodquidem non absq; ratione a Liuio positum uidetur. Quoniam autem Achęi quauis partium potentiores sunt, aut æquipotentes, aut minus potentes. Siquidem minus potentes, & neutri inhærebunt, recte Liuius inquit, præda uictoris eritis. Sin uero potentiores fuerint, nihilominus in hærere debebunt. Nam undecūq; parta uictoria, Achæi non sub iurisdictione ipsius uictoris, sed uictor potius sub ipsorum iurisdictione remanebit. Sin autē Achæi æquipotentes fuerint, utile ipsis erit, ut alteri earum partium inhæreant. Primo quidem quia uictorem adeo coniunctū habebunt, ut quouis casu insurgente, nunq̄ descisscere cogitet, nisi ingratus, atq; natura prauus fuerit. Vnde & prouerbium est: Qui indigentibus experita non præstat auxilia, eum quoq; necessitatis tempore ab aliis solere destitui. Quare Achęi alterutris auxilium p̄stare debent. Ab iis.n. qui auxiliū præstiterunt, nisi prorsus ingrati fuerint, auxilium, quū opus erit, inuenient. Deinde si non inhæserint, uictor, cui æquales erant, ex uictoria maior remanebit ac potentior. Quare indies Achæi fieri poterunt uictoris præda, illo uidelicet potentiori facto. Neutra igitur inclinatio periculosa est, ac plerūq; fallax. Huius autem rei exemplo nobis sunt Veneti, qui superioribus annis parui admodum lucri causa neutros se prębentes, Ludouicum Mediolanensium Principem a Ludouico Gallorum Rege debellari permiserunt: qui non multo post uictoris præda fuerūt, uicti ab ipso Rege ad Abduam. Q̄d si Solon neuter esse uoluit, non errauit: quoniam (ut Plutarchus inquit) omnia dixit, atq; egit, quæ ad concordiam ferrent. Hoc enim pacto in neutram partem pendere aliquando profuit. Vnde Solon hanc ob rem communi pugnantium consulto, & discordiarum transactor, & legumlator egregie declaratus est. Siquidem non pro bello, sed pro pace neutrum se præbuerat.

La neutralità non assicura da gli nemici e questa non conserua gli amici. Machiauel.

De Principe optimo. De mediocri, atq; pœnitus inutili. Cap. XIIII.

QVis uero Princeps optimus, quisue bonus, ac mediocris, & quis omnino abiectus, atq; inutilis sit, exponamus. Princeps itaq; nullus est dicendus, qui consilii capax nō sit, cum Principem agere sit prudentis. Princeps igitur qui p sese omnia noscens, cōsilio pollet, nec in agēdo aliorum consiliis eget, hic optimus atq; excellentissimus est, & natura Princeps. Dicebat enim Cyrus imperium nemini conuenire, qui quibus imperat, melior, ac prudentior non sit. Qui uero in agendo aliorum consiliis, ac monitis utens recte agit, hic mediocris & nō parua laude dignus, discernere enim inter hoc & illud (ut Aristoteles inquit) prudentis est, at qui nec ipse uidet, nec per se cōsilio pollet, nec recta monenti credit, nec consilia discernit, hic omnino inutilis est, & natura seruus, Vnde Aristoteles, authore Hesiodo optimus ille qdem, qui per sese omnia noscens. Præceptor suus ipse sibi meliora peregit. Ille bonus rursum monitus, qui recta sequetur. Qui non ipse uidet, nec credit recta monenti, hic nulla in parte utilis est. Prudētis uero principis potissimum signum erit, eorum hominum qualitas, qui consiliarii appellantur. Si enim boni ac prudentes fuerint, Principem prudentem esse significant, qui eorum uirtutem bene nouerit, sin ignaui, ac rudes, ignauum, ac rudem esse Principem indicabunt.

De consiliis & consiliariis. Cap. XV.

NVnc de consiliis & consiliariis dicamus, consiliarios itaq; quos Rex a secretis habere debet. Primo prudentes esse oportet, & historiarum, ac rerum omnium peritos, nam consiliarii primum opus est. Quæ agenda sunt, consilio inquirere, ac uestigare. Secundum de his, quæ recto consilio adinuenta sunt, diligenter quid melius, quidue peius sit, diiudicare. Demum consultationem suam proferre. hæc autem, nemo nisi prudēs efficere potest, qui & historiarum, ac rerum fere omnium peritus sit. Deinde Principem summo amore p̄sequi debent: nam (ut Aristoteles inquit) in Rhetoricorum libris, sapiens, nisi amauerit, rectum consilium dare non poterit

terit. Consiliarii beneuolentia erga Principem censetur, si oīa sua consilia in Principis & populi bonum dirigit. Qui enim in sui tantummodo bonum, hic & Principis & populi tyrannus est: nec in eo Princeps confidere debet. Quippe qui sui non Principis bonum curat, ac intendit. Demum uirtute ac sanctimonia clari esse debent. Consiliariorum enim prauitas nonnunquam res Principum in discrimen adducit. Ob ipsorum enim prauitatem plerūq; discordes sunt, ut in bene consulendo alter alterum excellere uideatur. Hanc ob causam prudens Princeps eis iniungere debet, ut nihil nisi uera dicant si contra opinionem Principis fuerint, ne propter discrimen falsa ac damnosa persuadeant. Enitaturq; Princeps aut eos consiliarios a secretis habere, qui amici inter se sunt, aut curare ut amici fiant. Nam qui publica ac regia ministrant, amici & collegæ esse dēnt. Vnde. M. Aemilius Lepidus, & Fuluius Flaccus cum odio inter se graui diu cōflictati essent, à populo censores facti, mox amici fuerūt, arbitrantes se non posse publica bene agere cum odiis. Regii igitur consiliarii sunt qui & sapientes, & Regis amici, & studiosi sunt a communi uirtute clari. Consilium uero Principis, quod laudari solet, est quod ex Principis prudentia oritur. Non enim bonum est ut prudentia Principis ex consilio proficiscatur, sed (ut Chilon inquit) consilium ex prudentia Principis. Consilia enim quæ ex prudenti principe sunt, firma, & ueluti leges sunt habendæ. Quæ uero ex prudentia consiliariorum, periculosa sunt, & minime firma. Ad hæc quæ in consiliis deliberantur, prius bene discutienda sunt. Nam (ut Scipio Africanus dictitabat) turpe est Regi ac uiro strenuo dicere, non putaram. Nihil enim a Rege agi oportet, quod non prius certo consilio & definito excogitatum sit. Vegetius inquit, Cum primum Imperator errat, statim errorem sequitur pœna, & nullus datur emendandi locus. Præterea est necessarium ut quæ in consiliis decreta sunt, eousq; secrete teneantur, quousq; executioni mandentur. Nam si damnosa hostibus fuerint, ipsis ignorantibus erunt pollentiora. Sin autem nostris gentibus utilia, magis placebunt. Quæ enim delectant, improuisa magis placent. Præterea si antequam executioni mandata sint, manifestarentur, fieret, ut hodie unum, cras aliud deliberaretur. Forsitan enim Principis mens mutaretur, aliis aduersantibus, & nō ita

ut deliberatum est, sentientibus. Regium enim est primo consulere. deinde bene ac sapienter deliberare. demum deliberata immutabiliter executioni mandare. Mutabilitas enim in deliberationibus (ut inquit Socrates) arguit & cõsiliariorum & Principis imprudentiã atq; ignauiam. Vnde & prouerbiũ est, Res nostras uiris instabilibus minime committendas esse. Et si diceres, ponamus Regem adhibita optima diligẽtia in consiliis etiam male deliberasse, nunquid si eius deliberatio executioni mandata esset, cognito errore eam reuocare debeat? Sentiunt nonnulli Reges errare non posse, adhibita omni diligentia in consulendo. Sed quod isti asserunt, non est respondere. Supponimus enim adhibitam esse omnem diligentiam, sed eos errasse. Propterea alii dixerunt Regem eam reuocare debere. quippe cum humanum sit peccare, stulti uero in peccando perseuerare. Sed si ita esset, tunc de regia authoritate multum diminueretur. Quoniam (ut dictum est) in deliberando mutabilitas Principis imprudentiam atq; ignauiam arguit. Q^d si nobilis quispiam uir iniuriam alicui fecerit, ac ne suam nobilitatem obscurare uideatur, ei, quem iniuria affecit, satisfacere refugit: & hoc nullam aliam ob causam, nisi quia mutabilitatem illam existimat suæ nobilitati derogare, quanto minus Rex ea, quæ semel executioni mandata sunt, reuocare debebit? Quapropter alii dixerunt deliberationes regias postquam executioni mandantur, siue iustæ, siue iniustæ sint, nullatenus reuocandas. Nam Reges quoad possunt, suam authoritatem & reuerentiam tueri ac seruare debent. Alii arbitrati sunt eiusmodi deliberationes, quanquã executioni mandatæ sunt, a Regibus reuocandas esse, non quidem persuasione alicuius eorum, apud quos authoritas ualere uidetur, sed aliquanto tempore interposito noua quædam emergentia simulare Reges debent, & propter illa ostendere se deliberationes mutasse. Nunquam enim desunt modi, quibus authoritate seruata, illas mutare possint. Ego uero eas deliberationes quæ executioni mandatæ sunt, non reuocare, nec persuasione alicuius eorum, apud quos authoritas regia ualere debet, nec alterius cuiusuis hominis magnanimum, atq; regium puto. Reuocare uero illas, si iniustæ atq; iniquæ sint, pium atque religiosum. Ex hisce patet quam prauus sit hodie nostrorum Principum error, qui non his, aut philosophis, aut iureconsultis consiliariis utuntur, qui prudẽtia, & uirtute, & beniuolẽtia clari sunt, sed plerunq; his, qui & praui, & rerum omnium imperiti, & nõ Regis, sed suorum cõmodoq; amici sunt. Si enim praui homines sint, boni consiliarii esse nõ possunt. Nam (ut omittamus) q^d natura auari, & (ut Græci poetæ dicunt) Dorophagi, hoc est munerum comestores (Habent enim ut Diogenes facete dictitabat, cereum nasum, ut quacunq; ex parte munus olfecerint, illo nares uertant) sunt canino studio (ut Columella inquit) contra innocentes pro nocentibus lucri causa allatrantes. Vnde Philippus Alexandrum monuit ne fidos putet, quos pecunia conciliat. Præterea si historiaq; indocti sint, qui nihil toto uitæ curriculo legerint præter Bartoli & Baldi & aliorum similium cõmentaria, inq; his omnia contineri stulte existiment, sunt imprudentes, atq; omniũ prorsus rerum imperiti. Demum mali homines, qui nõ regum ac subditorum bonum sed proprium suũ cõmodum inhiant, regii consiliarii esse non possunt, Quoniam quicquid agunt, lucri causa agunt. Non ergo prauis hominibus, sed bonis legum magistris, aut philosophis, aut iureconsultis Reges utantur, qui & prudentes, & rerum omnium periti sint, & qui se & subditos amẽt. Hi quidem sunt, quos a secretis habere, in quibus confidere, & quibus regiam suã maiestatem cõmittere debẽt.

Quomodo Adulatores fugiendi, quo pacto permittendi sint. Cap. XVI.

MAgna quæstio semper fuit, an adulatores permittendi, an omnino fugiendi sint. Ex uno uidentur necessarii. Nam si omnes in conspectu Principis ea dicere uellent, quæ ipsi sentiunt, etiam si contra Principis ordinem fuerint, de Principis authoritate multum diminuerent. Sin autem omnes adulatores essent, qui Principi assentarentur, cũ Principibus sua multũ placeant, nunq; se errare discernere possent. Propterea (ut Quintus Curtius inquit) Adulatores Principum frequẽtius opes q; hostes euertunt. Adulator quidem cum coruo tũ nominis, tum & facti similitudinem habet. Nã ueluti coruus mortui hominis oculos deuorat, sic & adulator uiuẽtis hois mẽtem obcœcat. Hinc illud Demosthenis, Melius est incidere in coruos q; in adulatores. Illi n. mortuoq;

cadauera: hi uero uiuentium animas deuorant. Nam uel commendat adulator nonnunquam reprehensione quæ digna sunt, uel reprehendit plerunq; quæ omni laude sunt maiora: ut semper profecto in eius ore sit aut prauorum laus, aut bonorum contemptus. quippe cum ea sola spectet quæ Principibus placeant, corporum umbras imitatus, singulis eorum dictis obsequens & arridens. Ex his igitur quæ superius dicta sunt, paret, an adulatores permittendi sint. In consiliis enim quæ a secretis fiunt, a Principe nullo pacto adulatores, qui assententur, permittēdi sunt. Vnde Agesilaus Lacedęmoniorum Rex adulatores nō secus insectandos esse dicebat potissimum in consiliis, q̄ propriæ uitæ insidiatores. Lysimachus Rex nullam aliam ob causam Philippidem Atheniensem Comicum poetam summa beneuolentia complexus est, nisi quia in opinionibus Regis, quæ illi proponebantur, ab adulatione semper plurimum aberat. Darius Timogaram, qui in omnibus consiliis ei indulserat, decreto publico morte multauit. Post autem eam deliberationem, quam ex consilio Princeps elegerit, nullum in suam præsentiam nisi adulatorem permittat. Nam deliberatio firma & stabilis esse debet. Deliberatiōes enim Principum ut leges habendæ sunt. Eos autem, qui eius opinioni, quæ post consilium apparuit, aduersantur tanquā hostes habeat. Hi enim sunt, qui de Principis maiestate detrahunt. Vnde Princeps, qui propriā authoritatem seruare uoluerit, nullum consulere permittat nisi ipse quæsierit. Consilium enim non quando alii attulerunt, sed quando ipse uoluerit (ut inquit Eucritus) accipiendum est. nec contra Principi quis consilium afferre debet, nisi ipse quærat. Vnde Aristoteles Callistenem monuit, ut cum Alexandro aut q̄ rarissime aut q̄ iucundissime loqueretur, consiliumq; cum ille non quæreret, non afferret. Præterea adulatores qui deliberationes Principum laudant, illis non paruam præbent authoritatem. Persuadent enim ut subditi credant. Quare post deliberationem adulatores permittendi, in consiliis autem ut hostes fugiendi.

De splendore Principum. Cap. XVII.

SEd an Principi splendor luxus ac regę pompa conueniāt, non parua quęstio est. Verum dicamus splēdorem Principibus

cipibus bene conuenire, non autem luxuriam. Est enim splendor (ut Aristoteles inquit) cibi, uestitus, famulorum, equorū domesticarumq; rerum omniū, quæ ad uitæ usum esse solēt, rationabilis mediocritas. Defectus, qui in his est, modicitas & sordes dicitur. Hunc defectum tanq̄ extremum detestantur philosophi. Excessus uero, quo quis in his magis q̄ dignum sit, facit, aut plus q̄ facultates ualeant, excedit, luxuria dicitur. Nimia enim aut cibi, aut uestitus, aut aliarum rerum, quæ ad uitæ usum spectāt, profusio luxuria a Marco Tullio uocatur. At pompa fusior q̄ luxuria res est. Nam & nuptiarum, & sacrorum, & funerum pompa est. Sunt res huiusmodi & Principi & regno dannosissimæ. Regno quidem, nam (ut Liuius inquit) luxuria & auaritia duæ pestes sunt, quę urbes & imperia omnia euertunt. ubi luxuriam non ad uenerea, sed ad prodigalitatem ac luxum retulit. Principi uero primo quidem quia (ut Lycurgus inquit) pōpa & luxus authoritatem Principis & fidē necat. quippe cum per luxum diuitiæ & mores, quibus fides constat, destruantur. Hinc Solonis lex apud Atheniēses erat, pompam omnem, omnemq; luxuriam comprimendam esse. Deinde ex nimia uestium luxuria nimioq; in cæteris, quę sunt ad uitæ usum, luxu magni Imperatores in sceleratissimā tyrannidem compulsi fuerunt. Nero, qui Romanorum imperium & deformauit, & minuit, inusitatæ luxuriæ sumptuūq; profusione, ut qui exemplo Caii Caligulæ in calidis & frigidis se lauaret unguentis, ac retibus aureis piscaretur, in sæuissimā tyrannidem se conuertit. A quoq; Vitellius cum Neroni similis esse uellet, tandem ob tyrānidem, in quam ob sumptuū exuperantiā deuenerat, a Vespasiani ducibus occiditur. Commodus cum ob luxuriæ profusionem in tyrannidem compelleretur, nihilq; simile diuini sui patris Antonini haberet, strangulatus occubuit. Quare (ut ait Socrates) Principes non pulchros ac uenustos, sed fortes ac prudentes esse oportet. Apud Aesopum aues Regem sibi creare destinantes, Pauo orabat ut se ob uestium & pennarum luxum ac pulchritudinem eligerent. Eligētibus eum omnibus, Monedula oratione suscepta inquit, Si te regnante Aquila nos hostiliter inuaserit, quomodo nobis opem feres? Per quæ affabulatus est Aesopus Principes non propter pulchritudinem atq; luxum, sed ob fortitudinem ac prudentiam eligendos esse.

AVGVSTINI NIPHI MEDICAE
De Regnandi Peritia Liber Quintus.

PROOEMIVM

SVnt qui Principes infelices esse probant, eorum omnino uitam infelicem asserentes, q̃ ambitiosa, anxia, turbulenta, maximis cruciatibus, calamitatibusq̃ ac malis facinoribus obnoxia, expositaq̃ sit. nec iniuria quidem. Nam in Principibus nihil purum, nihil syncerum, nihil castum, nihil deniq̃ absolutũ reperies. Inuenies enim quosdam humanos sed libidinosos, alios prudentes, sed crudeles, hos iustos, sed auaritiæ deditos, nonnullos magnificos, sed raptores, quosdã liberales, sed ira feruidos, & impotentes. Quare ita in eis infecta sunt omnia, ut longo interuallo uirtutes a uitio superentur. nec id ab ratione est. Nam si priuatorum, quibus minima quædam licent, qui legibus coercentur, maxima pars uitiorũ mole urgetur. Quid in tanta Principum licẽtia, quibus libido lex est, putas contingere? Si enim Hesiodi sententia (difficile est bonum esse) uera est in priuatis, longe magis in Principibus, quos plura uitiorum irritamenta ab exercitio uirtutum auertunt. Et si in aliquibus aliquis uirtutis splendor legitur, scriptorum nonnullorum assentatio, qui adulationis præmia a Principibus expectabant, ex parua uirtutis scintilla maximũ incendium excitauit, uerbis amplificando, quod re exiguum erat. Habent præterea Principes ea, quibus facile deteriores fiant, primum peccandi licentiam, deinde rerum copiam, amicos improbos, satellites detestabiles, ministros auarissimos, aulicos stolidos atq̃ inconsultos, quibus non modo mali esse facile possunt, uerum etiam quasi compelluntur. Saturnum quem Aegyptii ad imperium assumendum cogebant, locutum esse memorant, Nescitis amici quid mali sit imperare? gladii pendentes ceruicibus imminent, hastæ undiq̃, undiq̃ spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: & quod maximum est, omnis ætas in imperio reprehenditur. Antoninus Pius, quem per omnem uitam philosophantem inter omnes, qui unquam imperarunt, palmam tulisse uirtutis historiæ narrant, uitæ sanctimonia omnes excelluit, ab Hadriano tamen ad imperium adoptatus, magis doluisse, quã lætatus esse traditur. Iussusq̃ ex priuatis hortis in domum Principis migrare, inuitus accessit. Et cum ab eo domestici quærerent cur tam mœstus in tantam adoptionem transiret, respondit se imperii pondus atq̃ sæuitiam uereri. Diocletianus cum post depositum imperium in priuata uilla agro colendo intentus degeret, rogatus a Licinio ut ad imperium rediret: Præponens horti, quem plantarat, dulcem ac iucundã curam imperio, illud recusauit, & ostẽso horto dixit q̃ dulcis & iucũda ea uita esset, q̃ uero ãxia & infelix imperio cõstituta. Sylla deposita dictatura, quam tot laboribus, totq̃ sceleribus, ac probor̃ uirorum cædibus adeptus fuit, uitam priuatam imperio prætulit. Quare infelices esse Principes probarunt, q̃ & sapientes uiri, & ii, qui & ipsi summi & boni Principes fuerunt, imperium contempserint. Ego uero sicut cibi, potus uenereorumq̃ appetitum cum e natura ipsa prodeat, malum non appellarem. Ita nec imperandi cupiditatem, quæ (ut Cicero tradit) nobis natura infita est. Animus enim bene a natura institutus, & sub esse refugit, & præ esse cupit. Indidit. n. nobis siue deus, siue parens natura laudis ac gloriæ desyderium, quam potissimum præstantia & imperiis consequi uidemur, quibus eminentia quædam ac animi excellentia indicatur. Cernis duce natura gestire animum nostrum ac lætari, cũ reliquos etiam bonar̃ artium studiosos certam ine antecellit. Etenim gloria quadam extollimur, si prudentia, consilio, doctrina, uel arte egregia cæteris præstamus. Quia igitur in singulis rebus insita nobis est supereminentiæ appetitio, atq̃ imperandi cupiditas, hæc infelix censenda non est. quippe cum quæ natura nobis insunt, omni culpa ac reprehentione uacent. Quare quemadmodum cibi, potus, ac uenereorum usus, si ad uoluptatem referatur, crimine non caret. Ita si quis principatu præter rationem abutatur, uituperabitur. Fit enim qui Rex est, si tyrannice suum regnum administrarit, tyrannus ueluti. Contra tyrannus fit Rex, si tyrannicam gubernationem in regiam permutauerit. Iccirco ii potius qui abutendo principatum, ad uitia torquent, crimen ac delictum ascribendum est. Quid enim utilius, quid optabilius tribuit

nobis deus, quid ad uirtutis studia propensius, quam eam facultatem potestatēq; qua liberales esse, benefici, magnifici, qua multorum cōmoda procurare, & tum in homines, tum in ipsos deos pietatem exercere ualeamus? Hac datur oppressos protegere, afflictos erigere, subministrare egenis amicis opem ferre, præmia tribuere uirtuti, & demum omnibus mortalibus prodesse: qđ diuinum eē solum putauit antiquitas. Quamob rem felices nasci Principes pro maiore parte putat in Rhetoricorum libris Aristoteles, si modo suam felicitatem nouerint, nec eam in malum peruerterint. Iusti quidem exoriuntur, sed si iniuste regnauerint, iniusti fiunt. Nascuntur insuper liberales. sed si bona subditorum erogauerint, fiunt illiberales. Insuper & temperati. sed si crudelitatis scelera exercuerint, intemperantes euadunt. Et uniuersaliter Principes omnes suapte natura nascuntur boni. sed mali fiunt, si, quę regni sunt, male ministrauerint. Vnde Augustus, Vespasianus, Titus, Antoninus Pius, Traianus, M. Aurelius, Alexander, Seuerus bene a natura instituti, quia imperium honeste ac feliciter exercuerunt, optimi ac felicissimi Principes habiti sunt. Quia igitur nihil est quod Principes magis felices reddat, q̄ si honeste regnauerint (Nam cæteras felicitatis partes quasi natura duce assequuntur) ideo de honesto regnandi genere disserēdum. nec de omni, sed de eo tantum, in quo uidelicet unus tantūmodo præest. De republica enim alibi fortasse dicemus.

Triplex Regnandi genus est. Cap. I.

DE honesto igitur Regnandi genere disserētes, primo quot regnandi genera sint, distinguamus. Sic. n. qđ honestum regnandi genus sit, apparebit. Est igitur regnandi genus triplex, unum quidem per successionem, alterum per electionem, tertium per tyrannidem. Tyrannicum quidem regnandi genus omne illud est, quod nō per successionem, nec per electionem procedit, sed per omnem quēuis alium modum ex his, quos in primo libro enumerauimus, per fortunam, scelera, arma, uim, dolum, seditionem, factionē, ac ciuium fauorem. Verum cum electio duplex sit, altera legitima, altera illegitima, tunc honestum regnandi genus per electionē

1 Successio
2 electio
3 Tyrannis

electionem est, quum & præcedit legitima electio, & sequitur optima subditorum gubernatio, & eorum, quæ regni sunt, optima administratio. Honestum uero regnandi genus per successionem est, quum & successionem præcessit optima educatio, & sequitur optima subditorum gubernatio, atq; eorum, quæ regni sunt, optima dispositio. Quare quæ sit optima circa subditos gubernatio, & eorum, quæ regni sunt, optima administratio. Deinde quæ legitima electio. Postremo quæ optima educatio sit, uideamus.

Quę optima circa subditos gubernatio, quęue eorum, quę regni sunt, optima administratio. Cap. II.

OPtima igitur gubernatio, ac eorum, quæ regni sunt, optima administratio est, quæ fit per sapientiam, temperantiam, iustitiam, atq; fortitudinem. Per sapientiam quidem, cum qui subditos gubernat, ac res regni administrat, secundū deum gubernat, ac ministrat. Secundum deum uero gubernare, ac res regni administrare est (ut Plato inquit) diuina cognòscere, & res regni ac subditorum pertractare, ut ipsi Principes ad diuina dirigantur. Sic enim Reges sapienter subditos gubernabunt, resq; regni optime administrabunt, si hæc humana ducant ad diuina. Per temperantiam uero, cum ea ratione Rex subditos gubernauerit, ac res regni administrauerit, ut nulla cupidine (ut Plato inquit) superetur, ac eius exemplo cunctos ciues emendatiores reddat. Vnde Socrates, Ne putes alios compositis & moderatis moribus uitam ducere oportere, Reges autem licentiosis & incompositis: sed tuam temperantiam & moderationem aliis exemplum statue, utpote qui sciant perinde ciuitatis mores esse ac Regum. Proinde quid magis esset cōtra maiestatem, q̄ qui aliis imperet, suis uoluptatibus nequeat imperare? Isocrates ad Nicoclem Cyprium Regem, Tibi ipsi impera non minus q̄ aliis, Eamq; uirtutem Rege dignissimam existimes, si uoluptati nulli inseruiueris: uerum cupiditatibus omnibus magis quam ciuibus imperaueris. Hoc pacto est subditos gubernare, ac res regni per temperantiam administrare. Per iustitiam uero, cum Rex (ut inquit Plato) per omnem uitam

uerax eſt,neminem lædit, unicuiq; quod ſuũ eſt,tribuit, nulli facit,quod ſibi ipſi noluerit,nihilq; præter legem in ſubditos fieri permittit,nec ipſe facit. Per fortitudinem deniq; impauide ac intrepide bona agat,mala uitet: per eandem ſubditos, ſi oportet (ut inquit Ariſtoteles) ſecundum leges uiuere compellat. Vnde tertio Politicorũ libro inquit, Principem oportere eſſe potentem,ac fortem, ut non ſolum prauis hominibus reſiſtere,ſed eos & fugare,& penitus delere poſſit.

Quæ ſit legitima Regis electio. Cap. III.

LEgitima uero Regis electio (ut Ariſtoteles Politicorũ tertio deſcribit) eſt,quæ libera eſt. Non enim quæ ui, aut corruptione,aut largitione empta eſt,legitima nuncupari debet. Inſuper & quæ ab his oritur,in quibus authoritas eſt eligendi. Si.n.ab his electio fieret,in quibus authoritas eligendi non eſſet,uana,ac omnino illegitima eſt habẽda. Demum legitima dicitur, cum ex omnibus aliis qui eligendi ſint,is eligitur,qui aut eſt,aut uidetur cæteris ſapientior,temperatior,iuſtior,ac fortior. Cum enim electio conſilium,rationem,& deliberationem ſupponat. Quæ tria (ut inquit philoſophus) non ſunt niſi eius,quod eſt,aut uidetur melius. Euenit ut electio legitima tunc ſit,cum qui eligitur, ſecũdum uirtutem ſit,aut uideatur melior. Dico ut ſit,aut uideatur melior, quia electio non ſemper eius eſt, quod re uera bonum eſt,ſed eius,quod apparet bonum. Hæc pauca de legitima electione. Nam plura eſſent dicenda,quæ ſacris uiris,ac iure conſultis relinquimus.

Quid optima educatio ſit. Cap. IIII.

OPtima deniq; Regis educatio a Socrate apud Platonem in Alcibiade primo ſub exemplo educationis Regum Perarum perpulchre deſcribitur. Inquit enim Socrates, Nunquid audiſti quanta ſit Lacedæmoniorum Regum dignitas? quorum uxores publice obſeruantur ab Ephoris,hoc eſt prefectis,ut quoad fieri poteſt, Rex nõ ab alio latenter q̃ Heraclidarum genere oriatur. Perſarum uero Rex adeo excellit,ut nemo ſuſpicetur Regem ex alio q̃ ex ipſo genitum eſſe. Quam ob rem Regis uxor non alio q̃ metu cuſtoditur. Poſtquam uero natus eſt, primogenitus qui ſuccedit in Regno, ante omnia eum diem omnes homines, qui ſub Regno ſunt,celebrant,atq; ita in poſterum quot annis natalem Regis ſacris,ac feſtis,omnis Aſia colit. Deinceps nutritur puer,non a quauis nutrice, uerum ab eunuchis, qui reliquorum circa Regem optimi uideantur, quibus & alia, quæ ſpectant ad curam pueri demandantur,ac præcipue ut natum pulcherrimum reddant,componentes membra eius,atq; dirigentes,atq; hæc facientes magno in honore habentur, cum autem pueri ſeptimum ætatis annum impleuerint,ad equeſtris artis magiſtros proficiſcuntur. Deinde uenationibus exercentur,anno uero quartodecimo puerum ſuſcipiunt, quos pædagogos Regios appellãt. Sunt ii profecto electi ex omnibus Perſis ætate ſua præcipui, quatuor, quorum primus Sapientiſſimus magicam Zoroaſtri Horomazi filii docet, eſt autem illa Deorum cultus,atq; idem tradit Regia inſtituta. Secundus iuſtiſſimus admonet,ut in omni uita ſit uerax. Tertius temperatiſſimus ne ulla cupidine ſuperetur,ut liber uiuere conſueſcat ac re uera Rex imperans primum iis, quæ in ſe ſunt, nec ulli ſeruiens. Quartus fortiſſimum impauidum illum,& intrepidum reddit nequando quidpiam metuens ſeruus fiat. Hæc Socrates de optima educatione,q̃ uero abiectæ, q̃ ridiculæ ac leues ſint hodie Regum educationes,ex hiſce patet. Quare nemo mirari debet,ſi Reges hodie ſceleratiſſimi ſint. Nam licet (ut Ariſtoteles inquit) in Rhetoricorum libris ueriſimile ſit probum ex probis eſſe,non tamen ita plerunq; euenire aſſerit,niſi bene educatus ſit, attendere ergo debent Reges non minus ad propriorum filiorum educationem, q̃ agricolæ ad herbarum,atq; ſtirpium culturam,ſicut enim herbæ ac ſtirpes bonæ euadere non poſſent,niſi bene ab agricolis excultæ fuerint,ſic nec filii Regum,uiri probi euadere,niſi ab optimis pedagogis optime educati fuerint,non enim (ut Ariſtoteles inquit) ad uirtutem capeſſendam ſatis eſt genus, aut generis ſemen,ſed neceſſarium eſt ut is qui ex optimo ſemine naſcitur, optime educatus ſit,diuq; in uirtutum actiõibus aſſueſcat. Hactenus de optima educatione. Patet igitur honeſtum regnã-

di genus tũc esse,quãdo & subditi, & res Regni,per sapientiam,temperantiam,iustitiam,ac fortitudinem gubernãtur: modo per legitimam electionem, aut per optimam successionem Rex ueniat.

Exitus Tyrannorum. Cap. V.

NVnc qualis sit Tyrannorum exitus exponamus. Tyrannorum itaq; exitus hic est. Primo ut cõscientia scelerum semper crucientur, qua, ut Seneca ait, nullum est grauius supplicium. postea ut a bonis uiris semper odio habeantur. Hac ratione Diomedem Thracię,ac Busyrim Aegypti Tyrannos Hercules persecutus fuit, Melanchrum Pittacus Mitileneus,Nearchum Mysium Zeno Eleates, Nicoclem Arãtus,ac cæteros cæteros. Deinde ut semp in metu sint. Dionysius enim Syracusanus filias, quas tonstriculas effecerat,cum adoleuissent, pertimuit, & candentibus iuglandium putaminibus,barbam sibi & capillum exurebat,ne collum,aut guttur tonsori cõmitteret. & allocuturus populum, cum singulos quoq; formidaret,ex alta turri concionabatur. Postmodum ut carnifices semper sint,unde Ptolemęus Philadelphus dicere solebat,cum multa alia incommoda tyrannus habeat, tum maxime q; utilitatis causa,insontes impune interficere cõpellatur. Antisthenes dicebat carnifices humaniores esse tyrãnis,quoniam a carnificibus nocentes, a tyrannis uero innocentes necarentur. Deinceps ut e Regnis exulent. Romani enim e quibus uirtutum omnium exempla sumenda sunt,incredibili studio,summaq; impensa ciuitates, atq; prouincias a tyrannis liberarunt,Titus Flaminius Nabim tyrannum deleuit,& non multo post Philippum tyrannum etiam illustri pugna apud Cynocephalas Scolusę locũ superauit. Titus Quintius Consul Rege Philippo profligato liberauit Corinthios, Locros,Phocenses,Euboicos,Achęos,& alios quãplurimos. Ad hęc,ut & impune occidantur,Iuuenalis,ad generum Ceteris sine cede,& uulnere pauci Descendunt Reges, & sicca morte tyranni. Vnde Alexander Pheręus,cum ob tyrannidẽ omnes haberet suspectos, tãdem ab uxore ob metum pellicis interfectus, interfectus,ac eius cadauer a ciuibus tractum,ac laceratum est. Polycrates Samioq; tyrannus, cum nihil unq; aduersi sibi cõtingisset,tandẽ in montis uertice crucifixus est. postremo ut in infernas Acherontis pœnas trudantur,unde Plato in Gorgia tyranni autem iniusti,ac impii,apud inferos detrusi sunt, ubi Acherontis pœnę parantur,hic est igitur exitus tyrannorum.

Honesti Regis finis, Cap. ultimum.

HOnesti uero Regis finis,primo est uirtus,hæc (ut Aristoteles inquit) est omnium honestarum actionum finis,hac homo homini prestat,per hãc antiquitas Reges heroas fecit,ac ipsos inter Deos annumerauit. Quoniam nihil aliud existimabat esse Deum,q; prodesse mortalibus. nec iniuria quidem,nam (ut ait Strabo) mortales tũc maxime Deos imitantur,cum benefici sunt. Deinde est perennis gloria, atq; honestus honor, quem nullo unquam tempore aboleri posse Homerus sentit. Gloriam enim esse expetendam plures Philosophorum sentiunt,ueluti,Quæ uirtutis laborum,periculorum merces quędam esse uideatur. Hinc Aristoteles Principem cui non satis est præmii honor, & gloria tyrannum fieri asserit. Isocrates ad Nicoclem Cypriorum Regem plurisfaciendum est bonam gloriam inquit q; diuitias filiis relinquere,hæ enim mortales,illa immortalis & diuitiæ gloria acquiri possunt,gloria autem diuitiis nõ acquiritur. ac hæ etiam a malis,gloria uero a uirtute præditis solum possidetur. Postea est recte factorum conscientia,ac memoria, hanc sapienti uiro satesse plures Philosophi putauerunt,qui gloriam non esse expetendam asseruerunt. Huc spectat illa Bruti sentẽtia,qui ad Ciceronem scribens,quid enim igitur est melius, q; conscientia recte factorum,& libertate contentum negligere humana,qd enim maius,aut honestius præmium? quam gloriam a mortalibus maiorem ferre possumus,q; scire nos recte egisse,quę laurea,quis triumphus clarior esse potest,nec profecto maledicũ, nec obtrectatorem formidat,qui suæ uirtutis est conscius. Demetrius Phalereus cum audisset statuas,quæ sibi ab Athenien sibus erectæ fuerant,ob inuidiam disiectas esse, ridens inquit, statuas quidem inuidi euertere potuerunt, uirtutes autem, & præclara gesta,quarum præmio imagines ille extiterãt,nequa

quam abolere potuerũt. Præclara quippe uox, & magno, atq; erudito uiro digna. Declarauit enim uera præmia meritorum conscientia præberi. Quæ nec inuidia pertundi, nec lectio, aut uentris illuuiæ inquinari potest. Demum præmium ultimum, quod honesto Regi paratur, a Deo est. Deus enim optimus non satis premii esse putans, quicquid in terris mortalibus tradi potest. Hos Reges, qui pietatem, iustitiam, cęteraſq; uirtutes coluerunt, & ciuitates, & populos, gentes, nationes optimæ gubernarunt sempiterni æui participes reddit, ut æterna cum numinibus uita fruantur.

Finis Suessæ die. iii. Octobris. M.D.XXII.

A B C D E Omnes quaterni, præter E Quinternum.

Neapoli in ædibus Dominæ Catherinę de Siluestro
Anno a Natiuitate Domini. M.D.XXIII.
Die. XXVI. Martii.
Carolo. VI. Romanorum Rege Imperante.

¶ Librorum Index.

De modis quibus priuati hoies regna acqsierũt. Lib primus.
De armis, militibus, ac modis quibus ab hostium inuasione ipsa tutati sunt. Liber Secũdus.
De legibus, astutiis, uersutiis, quibus a subditorum insultibus, defectionibus, rebellionibusq; eadẽ præseruarũt. Liber. iii.
De cõibus disputatiõibus, quæ his utrisq; utiles sũt. Liber. iiii.
De honesto Regnandi genere. Liber. V.

¶ Index Capitum Primi Libri.

Quot dominationum genera sint. Cap. primũ
Vñ Monarchiæ ortæ, & quot modis ad eas deuẽtũ sit. Cap. ii.
De his qui fortuna ad Principatum deuenerũt. Cap. iii.
De his qui per uirtutem ad Regnum deuenerunt. Cap. iiii.
De his qui per scelera ad Principatum deuenerunt. Cap. y.
De his qui per arma ad Regnum peruenerunt. Cap. yi.
De his qui per dolum tyranni euaserunt. Cap. yii.
De his qui factione ad regnum peruenerunt. Cap. yiii
De his qui seditione ad principatum elati sunt. Cap. ix.
De his qui fauore ciuium ad Regnum peruenerunt. Cap. x.
De his qui electione ad regnum peruenerunt. Cap. xi.
De his qui successione Reges facti sunt. Cap. xii.

¶ Index Capitum Secundi Libri.

Procœmium.
Modi, qbus regna diu possidentẽ, generatim exponũt. Cap. i.
Quot sint militum, atq; equitum genera, quibus pro regnoꝝ defensione, atq; custodia utuntur Reges. Cap. ii.
Mercennarios milites pro regnorum defensione, atq; inuasione esse minus utiles, q̃ sint proprii. Cap. iii.
De Florentinis, & Venetis. Cap. iiii.
Quomodo Italia uenit ad mercennarios milites, & qui primi milites in Italia. Cap. y.
Quod auxiliares milites inutiliores atq; periculosiores cęteris sint. Cap. yi.
Quod mixti milites minus periculosi, ac minus inutiles sint mercennariis, atq; auxiliariis seorsum, non tamen ita utiles, sicut proprii. Cap. yii.

Quod sine propriis armis princeps quilibet, non tute, sed uel casu, uel fortuna imperitet. Cap. viii.
De considerationibus, quæ ei necessariæ sunt, qui bellum adire uult ex quibus uis militibus. Cap. ix.
Quousq; princeps bellicis rebus studere debet. Cap. x.
Quo in pace princeps militari facultati uacare debet. Cap. xi.
Modi quibus Principes principatum cõseruarũt. Cap. xii.
An bonum sit a subditis, qui prius in armis Illustres erant, arma auferre. Cap. xiii.
An factionibus principatus seruari possit. Cap. xiiii.
An fouendi, uel delendi inimici sint. Cap. xv.
An qui a Regni principio hostes erãt, bñficioꝝ collatiõe amici faciẽdi, an priores amici solum cõseruandi. Cap. xvi.
An arx construenda, an eliminanda. Cap. xvii.
De locis custodiendis considerationes. Cap. xviii.

ℂ Index Capitum Libri Tertii.

Proœmium.
Quibus legibus hereditarii principes ac electi Regna eoꝝ a rebellionibus, atq; popularibus insultibus seruarũt. Cap. i.
De modis, quibus noui principatus cõseruantur, qñ alicui antiquo sũt cõnexi, & ppriis alicuius Regis armis acqsiti. Cap. ii
Quomodo Ludouicus Gallorum Rex in possidendo Italico principatu multifariam errauerit. Cap. iii.
Cur Darii Regnum, quod Alexander occupauerat, a successoribus suis post Alex. obitum non defecit. Cap. iiii.
Quomodo principatus, qui propriis legibus, & quidem sub libertate uiuere diu consuenit, si ab externo, aut nouo Principe occuparetur, seruandus esset. Cap. v.
Qũo noui otio Principatus, q uirtute acqruntur seruẽt. Cap. vi.
Qũo noui pricipatus q fortuna acqruntur cõseruentur. Cap. vii.
Qũo q pscelera ad pricipatũ deuenerũt, se cõseruarũt. Ca. viii
Versutia qua Cęsar Borgia eorum animos permolliuit, qbus innumerabiles iniurias intulerat, quaue eos ad summam beniuolentiam reconciliauit. Cap. ix.
De domino ciuili quis & unde ortus. Cap. x.
Modus quo se in principatu seruare solet dñs ciuilis. Cap. xi.
Quo pacto i luto & qũo ñ i luto edificat q i ppło ꝺfidit. Ca. xii
Quomodo periclitentur ciuiles Principes. Cap. xiii.
Qũo ciuil dñs poterit se ab externis hostibus ꝺfendẽ. ca. xiiii

ℂ Index Capitum Libri Quarti.

Proœmium.
An p eoꝝ cõseruatione deceat Principẽ eẽ liberalẽ. Cap. i.
De Cæsare, Alexandro, & Cyro opponitur, & declaratur quo modo liberales fuerunt. Cap. ii.
De crudelitate & clementia Principis. Cap. iii.
An timeri, uel amari magis Princeps debeat. Cap. iiii.
Cur in Annibalis exercitu, licet ex diuersis hominum generibus esset cõgregatus, nulla seditio uisa fuit. In illo uero Scipionis plurimę, licet ex hoĩbus eiusdẽ gñis cõstaret. Cap. v.
An Princeps timeri possit, non aũt odio haberi. Cap. vi.
Vñ cõiuratiões ortę, & quę timẽdę, quę paruifaciẽdę. Cap. vii.
Vnde ortum Gallorum cõsilium, quod parlamentum dicũt, & ad quid conferat. Cap. viii.
Quam ob rem nonnulli Romanorum imperatores, cũ recte erga populum se gesserũt uiolenta morte perierũt. Cap. ix.
Quę mortes principum euitabiles, quęue ineuitabiles. Cap. x.
De iureiurando, atq; seruanda fide. Cap. xi.
Quę faciũt Principẽ egregiũ, ac existimatiõe dignũ. Cap. xii.
De neutrã in partem Principis inclinatione, & an Achæi neutri esse debuerant. Cap. xiii.
De Principe optio, de mediocri, atq; penitus inutili. Cap. xiiii.
De consilio & Consiliariis. Cap. xv.
Qũo adulatores fugiendi quo pacto pmittẽdi sint. Cap. xvi.
De splendore Principum. Cap. xvii.

ℂ Index Capitum Libri Quinti.

Proœmium.
Triplex Regnandi genus est. Cap. primũ
Quid optima circa subditos gubernatio, quidue eorum, quæ Regni sunt optima administratio. Cap. ii.
Quid sit legitima Regis electio. Cap. iii.
Quid optima educatio sit. Cap. iiii.
Exitus tyrannorum. Cap. v.
Honesti Regis finis. Cap. ultimũ.

Totius Tabulæ Finis.

Plus dare non potuit Niphus tibi maxime Cæsar.
Quam dedit, Attalicas munere uicit opes.
Regna quidem Fortuna solet concedere magnis,
Sed non qua fuerint arte regenda docet.
Supra Fortunam est sapientis pagina Niphi
Quæ bene regnandi pandit ad astra uiam.
Hoc opus hoc Reges edisce, fidus Achates
Sit liber hic, uestrum claudat ubiq; latus.

Augustinus Niphus Medicæs, Petro Grauinæ,
Amico optimo, bene agere.

COmmentarios de Regnandi peritia, Petre doctissime, quos Karolo Sexto Imperatori Maximo nuperrime dicauimus, tibi recognoscēdos mittimus, Rogamusq; ut si qua, aut demenda, aut addenda iudicaueris, Amici officium impleas. Vale.

Petrus Grauina Augustino Nipho
Philosopho Eminentiss. S.

PErlegi nuper summa cum uoluptate opus tuum, aureū quidem & uere Regium de Peritia Regnandi ad Karolum Cęsarem inuictum, cui nescio an quicquam obtigerit præciosius, ex quo ad tantum rerum fastigium ascenderit, hoc ipso munere quod eius Imperatorię Maiestati offerendū destinasti. De quo quidem quid sentiam breui carmine testificatus sum. Hoc certe nō dissimulanter adiecerim abs te Cæsarem ipsum ac Reges omneis ita in Regnandi ratione instructos esse, ut iam Platonicum illud oraculum uerissimum re ipsa te Authore experiri possint, tunc felicissime agi cum rebus humanis, si aut Philosophi regnarent, aut Reges Philosopharentur. Tale igitur mea quidem sententia mi Niphe est hoc tuum munus, ut quemadmodum in scriniolo illo pręciosissimo Persicæ olim gēmæ a Dario Rege recondebantur, in eodem postea ab Alexandro magno rerum potito, diuina Homeri Ilias reposta fuit, sic tuum hoc opus in Augustissimo Cæsaris nostri pectore perpetuo reponendum putem. Vale.

